
This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<http://books.google.com>




p. Bonnet M.R. ord. 1682.

35/

31

MED. 4435



JOBİ a MEEKREN
OBSERVATIONES
Medico Chirurgicæ.

J. H. S. J. E. D. O. D. A. M. S.
Ex officina Henrici et Viduae Theodori Boom 1682.

616-089
M54j
JOBI à MEEK'REN

Chirurgi Amstelodamensis

OBSERVATIONES

Medico-Chirurgicæ,

Ex Belgico

In latinum translatae

ab

ABRAHAMO BLASIO, Ger. Ed.

Medicinæ Studioſo.



AMSTELODAMI,

Ex Officinâ HENRICI & Viduæ THEO-
DORI BOOM, 1682.

V I R O
C L A R I S S I M O

D O M I N O

JOANNI de RÆI,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ
DOCTORI,

ILLIUSQUE


QUONDAM

IN INCLYTA ACADEMIA
LUGDUNO-BATAVA,

N U N C

IN ILLUSTRİ ATHENÆO
AMSTELODAMENSIIUM,
PROFESSORI,

SCHOLARUM PUBLICARUM
VISITATORI,



PA-

PARENTIS
HONORANDI
GERARDI BLASII,

MEDICINÆ PROFESSORIS,

COLLEGÆ
CONJUNCTISSIMO,

HOC
OBSERVANTIÆ GRATITU-
DINISQUE

SIGNUM,
CUM VOTO OMNIS
PROSPERITATIS

OFFICIOSE

OFFERT

ABR. BLASIIUS.

PRÆ-

PRÆFATIO AUTHORIS.



Uidam è numero Philosophorum (quorum omnis scopus hic fuit ut mortalium desideria in debitum finem dirigerent) *Penthalus*, inquit, *fieri cupis*? id est, bravium obtinere desideras (hic enim Penthalus celebris fuit Athletæ) perspice brachia tua, pedes, crura, femora &c. quantique sint roboris ac vigoris, attente considera; hînc siquidem ediscere poteris, quâ viâ teipsum aut in securâ libertate fovere, aut in ærumnarum abyssum præcipitare, valeas. Fateri quidem oportet hoc istius Philosophi effato rectum contineri monitum ad efformandos hominum mores; verumtamen si ti-

tubantum pedum atque imbecil-
lium brachiorum nostrorum vires
intueri velimus, nequaquam ars
perfectionis particeps efficietur.
Verum enim verò si nullum rectè
suscipitur negotium, nisi idipsum
ad opratum finem perducatur,
consectaneum erit unicuique sa-
tius fore in terram talentum suum
defodere, quam illud ad publi-
cum commodum exponere; si
etiam ille, qui non quinque ta-
lenta consecutus est, haud rectè
negotiatur in iis, si non aptè or-
ditur quippiam, nisi, qui idip-
sum fine coronarît, necessum erit
eos cunctos complicatis manibus
stertere ac otari. Nulla in nobis
ars nullaque scientia completæ per-
fectionis obtinet gradum, neque
ea possessori suo absque conatu
summatim infunditur, sed expe-
rientiâ sensim accrestit. Hinc vir
eru-

eruditus *Guido*, in præfatione suâ,
additione scientiam perfici asserit.
Quod & vates antiquus hoc con-
firmat dicto

*Adde parum modico, modico superadde paucillum,
Hoc sæpius faciens magnum cumulabis acervum.*

Utilius igitur fore arbitror, exile
quiddam ac modicum parvo ad-
jungere, quam otio disfluere, me-
liusque publico bono consulit, qui
infirmis viribus illi laborem im-
penderit, quam qui stertuerit, igna-
vus. Quid? nonne in hoc spatioso
Oceano immensæ inter rupes ac
fyrtes viæ paulatim discoopertæ
sunt, quarum notitia nostro in ævo
immensa mortalibus offert com-
moda; ad earum profectò scien-
tiam nullus privatus labor ac stu-
dium auctorem suum perducere
valuisset, si non majorum nostro-
rum sedulitas, præfigendo pharos,
quod ipsa didicerat, ad posteros
transmisisset.

* §

Ita

Ita alterius studio ac lucubratione, ad consummatas alter pertingit scientias, dum illius monitu perniculas cautes evitare ac salubres portus feligere docetur, menti suæ quisque altè teneat impressum non sibi ipsi, sed vicino ac proximo suo quemque creatum esse, ac servire debere; atque eà proptèr qui communi commodo deservire quantulâcunque in re aptus est, vile potius præstet obsequium, quam ingratham desidiâ. Afferat nostrum quisque ad complementum præclaræ ac nobilis artis Medicæ arenulam unam, mox immensos thesauros, innumerasque divitias in unum congestas reperiemus, quibus nostris & concivium, ac posterorum nostrorum necessitatibus, ægritudinum, inquam, vexis, abunde subvenire liceret. At quam multi proh dolor! aut sibi soli medicinam

nam excolunt, aut sibi quidem atque concivibus suis verum sine ulteriori indagine, aut ubi laboriosam indaginem artis exercitio superaddiderunt, ad neminem partiuntur laborum suorum fructus pervenire. Quorum ego quidem, postremos maximè hac ipse aberrare judico, atque inexercitatus Pentholus esse præligo, ac meas qualescumque elucidationes atque observationes in publicum producere, ratus earum subsidio facilè quemvis longius perventurum, quam ipse vacillando prorepere valeat. Confido interim aliquos inter artis peritores fore benevolentia atque urbanitate, ut meum hunc laborem favore prosequantur, dum inter tot splendoras atque lucentes faces, tenuem luminis radium afferre præsumo.

IN-

Index Capitulorum.

CAP.

I.	D E Fracturis Cranii, earumque Symptomatibus.	I
II.	De abscessu hepatis fracturam Cranii secuto.	22
III.	De Fracturis iisdem.	37
IV.	De sanguinis Narium fluxu per oculum sinistrum.	39
V.	De Epilepsiâ gravi, canterio actuali curatâ.	45
VI.	De Reseratione umbilici lethali.	49
VII.	De fungosâ excrescentia ad capitis posticâ, post mortem ablata.	51
VIII.	De loquelâ gravi, curatâ.	55
IX.	De Hemictaniâ continuâ, gravi, curatâ.	56
X.	De Instrumento ad hypopii curationem commo- modo à nobis invento.	63
XI.	De Polypo Narium Epistola Nicolai Zas, Medici Rotterodamensis ad Jobum à Meek'ren.	69
XII.	De Polypo cartilagineo, à parte posticâ unu- la ex faucibus ablato,	76
XIII.	De nodo inferioris labii exsecto.	80
XIV.	De Polypo ligneo, quinque aut sex dierum spatio curato.	82
XV.	De Fungo oris, cultro ablato.	84
XVI.	De Paralyseos instantisque mortis signis antecedentibus.	86
		De

Index Capitulorum.

XVII. De Tabe imaginariâ subito curatâ.	91
XVIII. De loquela & auditus, in muto & surdo, restitutione.	93
XIX. De manu exaresactâ, restitutâ.	
XX. De cœcis Oculos in manu gerentibus.	99
XXI. De Oculis audiente.	103
XXII. De insignis magnitudinis biatu in palato.	105
XXIII. De Timore gravi lingue, partiumque vicinarum.	107
XXIV. De cura eorum quorum penis podexve clausus, similiter ac earum quarum vagina non aperta.	114
XXV. De Empyemate imi Ventris.	116
XXVII. De Urine per podicem excretionem.	118
XXVIII. De Epulide insignis magnitudinis feliciter ablatâ.	120
XXIX. De ablatione Uvule forfice peractâ.	125
XXX. D. Nervorum opticorum obstructione, percussione sanata.	131
XXXI. De Setaceo.	131
XXXII. De dilatabilitate extraordinariâ Cutis in viro quodam Hispano.	134
XXXIII. De Capitis Obstipi curatione.	136
XXXIV. De Cantharidum usu, interno externoque, bono ac malo.	140
XXXV. De exulceratione & vulnere Cordis.	147
XXXVI. De Osse maxille Rhombi piscis ex intestino viri alicujus extracto.	157
De	

Index Capitulorum.

XXXVII. De Veneficio falso.	161
XXXVIII. De Arteriotomiâ.	163
XXXIX. De Renis dextri urinariæque vesicæ suppuratione.	167
XL. De Rene simplici.	169
XLI. De Digito Scorbutico.	172
XLII. De Costarum carie.	172
XLIII. De vulnere Sclopetario.	173
XLIV. De Calculo renali lumbos perforante.	183
XLV. De Calculo ureterem renis dextri obtu- rante.	190
XLVI. De ductûs Cholydochi intus susceptione in puero sex annorum.	196
XLVII. De Umbilico indurato, carnosio.	200
XLVIII. De Enteroccele in viro sene, lethali.	205
XLIX. De Enteroccele ex processu peritonæi la- xitate in Viro.	215
L. De umbilici dissectione ab asciticâ muliere per- actâ, ubi etiam de abdominis paracen- thesi.	218
LI. De Paracenthesi scroti, in herniâ flatulentâ.	225
LII. De Aqua hydropicâ, in peritonæi duplica- turâ, in muliere.	230
LIII. De Globo sclopetario variisque aliis in in- testino cæco inventis.	236
LIV. De Precidentia uteri falsâ.	238

De

Index Capitum.

L V. De Imperforata quadam Epistola ad virum celeberrimum Dn. JOANNEM van HORNE, Anatomes Profess. Lugd. Batavum.	260
LVI. De calculo vesicæ urinariæ in muliere, extracto.	264
LVII. De Tumore sanguineo ad palatum.	267
LVIII. De variis in cadavere puerperæ obser- vatis.	269
LIX. De Luxatione ossis caudæ.	273
LX. De sanguinis vermiculos referentis per pe- nem excretionem.	274
LXI. De Fistulis ani.	277
LXII. De Morsu canis rabiosi.	289
LXIII. De Ganglio ex tempore curato.	294
LXIV. De Cubito rigido, immobili, subito curato.	297
LXV. De Punctura tendinum, nervorum vul- go dicta, feliciter, sæpius cum actionis partium abolitione, curata.	299
LXVI. De Unguinum structura & vitiis.	313
LXVII. De Morsu ab homine inflicto lethali.	320
LXVIII. De Abscessu digiti nodoso.	323
LXIX. De osse dextri brachii adjutorio, motu integrali permanente, ablato.	328
LXX. De Ossis calcis corruptione.	333
LXXI. De fracturis Ossium, nulla accedente coalitione.	338
LXXII. De Tibiæ corruptione, perforatione ja- nata.	341
	Index

Index Caputum.

I. D E <i>Monstris.</i>	345
II. D E <i>Fungo occipitis ossi adnato.</i>	354
III. <i>De Fissura ossis frontis.</i>	357
IV. <i>De Hernia flatulenta scroti, s. pneumatocele ex vulnere Thoracis.</i>	357
V. <i>De Enteroccele gravi.</i>	361
VI. <i>De Hydrope gravi.</i>	364
VII. <i>De Anatome abortivi fœtus Urachi.</i>	368
VIII. <i>De Abscessu miræ structuræ.</i>	370
IX. <i>De Tumore femoris insigni.</i>	373
X. <i>De Tumore simili.</i>	375
XI. <i>De variolarum Symptomatibus.</i>	376
XII. <i>De processu Oculi ciliari.</i>	381
XIII. <i>De modo frustra carnis, casei, panis, aliaque corpora faucibus inharrentia auferendi.</i>	383
XIV. <i>De vulnere sclopetario admirando.</i>	386
XV. <i>De Ani procidentia.</i>	387
XVI. <i>De vita reparata.</i>	389
XVII. <i>De Cancroso oculi abscessu.</i>	391

OBSER.



OBSERVATIONUM
Medico - Chirurgicarum
JOBI à MEEK' REN

C A P. I.

*De Fracturis Cranii, earumque
Symptomatibus.*



Fracturarum quæcunque corpori obvenire possunt, periculosiores, difficiliorisque curationis nullas reperire licet iis quæ Cranii sunt.

Numerus earum insignis admodum, ast symptomatum subsequantium infinitus.

Paulus lib. 6. cap. 7. Quinque recenset species, quibus in infantibus addit sextam.

Hippocrates lib. de vulner. capitis à Paulo adductis aliam addit.

Placet nobis, quo curatio certa, quantum possibile, exerceri queat, ex fundamentis certioribus, diversas species, earumque appellationes adducere, nullâ habitâ ratione controversiarum quæ circa varium vocabulorum usum etiam

A

hic

hic proponi possunt, & solent, cum inutiles omnino sint, convenientiusque sit ad res ipsas veramque medendi methodum respicere, quam vocum varietatem variam.

Inter species omnes Cranio obvenientium fracturarum primo nobis loco occurrit *Fissio*, quæ *continui solutio est Tabellarum Cranium constituentium vel primam seu anteriorem solam, vel insuper & alteram seu posteriorem, in totum, vel ex parte, dividens*, observabilis sæpè, non rarò obscura adeò, ut vix notari queat.

Fracturæ huic Vasorum sanguiferorum ruptura accedit, venarum imprimis, modò earum quæ Cerebri corticem perreptant, quandoque quæ medullam, non rarò & illarum, quæ duram matrem S. crassam cerebri meningem. Prior rupturæ vasorum dictorum species lethalis licet habeatur, ultima tamen *Cornelium Celsum* valdè reddit sollicitum, adeò vel etiam cranium trepano hic perforari velit primo tempore, ne materia purulenta, ex sanguine extravasato genita, meningem tenuem accedat, eandemque premat, *Sanguis enim hic* (verba ejus sunt lib. 8. cap. 4.) *corruptus atque inflammatus partes vicinas ledit, unde deliria, febres, convulsiones, tandem mors ipsa.*

Dicta considerantes haud videbimur inutilia proponere, siquidem exemplo quodam singulari quam verè beneque sollicitus *Celsus*, minus sæpe debito sollicitos Chirurgiæ cultores doceamus.

Tempore eo, quo *Maria Medicea*, Regis Galliae *Ludovici XIII* mater, urbem nostram Amstelodamensem intrabat, puer v. vel vj. annorum, cujus nomen *Rijkardt Karseboom*, reginam, quæque in honorem ejus extructa, videnti animo, fenestræ alicujus domus insidens, procidit in terram, eoque casu, præter vulnus cutaneum satis insignè, Fissuram contraxit parte supremâ ossis parietalis dextri.

Signis fracturæ notis benè perspectis, quo enarrata tollerentur mala, non obstante quod somnus jam adesset inquietior, febris continua, vomitus continuus, sanguinisque per nares & aures fluxus gravis, vulnus cutis, horis matutinis diei secundi, cruciali sectione duplex quasi effecimus, adeoque sic constitutionem cranii obvii magis, certius cognoscere licuit, digitis enim non solum fissuram ejus, sed & ossis fracti ex unâ parte elevationem, explorare concedebatur. Plumaceolis hinc vulnus replere hoc tempore, circa vesperam verò cranium trepano perforare, necessarium duximus.

Trepanum ubi ad Diploen pervenit, medium scil. tabularum duarum cranium constituentium, impetu sanguinis notabilem quantitatem prodire observatum, notabilior hæc, ubi, absoluta trepanisatione, foramen patens.


Foramini huic, adeoque, ejus ope, ipsi meningi crassæ, lintei tenuioris quadruplicati in spiritu vini, cujus parti uni duæ partes mellis rosarum mixtæ, madefacti, quantum loci conditio

permittebat, imposuimus. Sequenti die mentem vulnerato constare, linguæque usum concessum, observavimus, febrem etiam, somnum, vomitum, hæmorrhagiamque vale dixisse; curationi quapropter nos accinximus, labia vulneris, secundum monitum *Jac Carpi*, cranio ipsi imponentes, brevi hæc absoluta, satisque feliciter, fragmentis quibusdam squammiformibus, iisque valdè exiguis, separatis.


Secunda Fracturarum cranii species EXCISIO est, *continui solutio in cranio ab externo instrumento secante producta*; fissuræ hîc nonnunquam signa adsunt certa, quandoque nulla; quod si excisioni fissura jungatur, utriusque ubi illa tabulæ est periculosæ valdè conditionis, ad ipsam usque duram meningem penetrare potest.

Squammæ nonnunquam etiam in Tabulâ separantur primâ, nec tamen lethalis semper hæc separatio, quod verum observavimus in quodam *Joachimo Ulrico* Magistratus nostri jussu à nobis curato. Percussus hic à milite quodam ebrio, ense lato, in sinistrâ ossium parietalium parte, proximâ futuræ sagittali, graviter adeò, ut ex exciso cranii osse dicto, & quidem tabulâ ejus exteriori, particulam ossis, separatam, solutamque, forcipis ope extrahere licuerit, magnitudinis figuræque ejus cujus figura addita, qua ablata, adhibitis medicamentis convenientibus integrè sanitati æger restitutus.

Hujus



Hujus conditionis fragmenta varia, (quæ Cranii tabula prima, s. extima exhibuit, ubi Excisio aderat) ast obliquè magis separata, forcipe commoda auferre mihi concessum in Cranio fracto filiolæ natu minimæ *Joannis van Os*, contusam cutem ubi cultro aperuimus. Occurrebant hæc parte inferiore ossis parietalis sinistri, casu gravi in objectum acutum dicto modo læsi. Auferre particulas has licuit nobis die à casu x. & xj. præmissâ, ut dictum, apertione cutis, integumentorum vè reliquorum commodâ, ast non sine insigni purulentæ materiæ effluxione. Et hac institutâ curâ integrè restituta puellula, brevissimo temporis spatio, hoc quo hæc scribimus optimè valens. Fragmentorum delineationes communicare Lectori placuit.



Fragmenta hæc Cranii ossium antequam deferamus, observationem aliquam Artis Chirurgicæ studiosis exhibere, utile ducimus, quam vir Theologus, *Dn. Engebertus Sloom*, verbi divini in *Slooterdijk* præco, à *Dn. Joanne Kraamwinkel*, apud eos qui Christo nomen dederunt in *Moscoviâ* Evangelistâ, accepit, declaratur eâ, quomodo in nobili quodam Cranii particula ense ablata, alia verò ex canino capite desumpta ejus in locum reposita, quæ etiam reliquis cranii ossibus firmiter unita. Accipite ergò quædam eorum, quæ *Epistola dicta* fabulis annumeranda proponit. Occurrit hoc tempore, *Tibi communicanda excommunicatio admiranda, imò risu digna, quam Theologi Russi exercuerunt in nobilem quendam, cujus nomen*
Butter-

Butterlijn. *Tartarus* quidam caput hujus graviter adeò ense vulneraverat, ut, præter integumenta, cutem nempe pilosam, aliaque, ossis cranii etiam particula quedam ablata, adeò ut caput insipienti denudatum non solum, sed & vulneratum, occurreret cranium. Chirurgus locum apertum quo replet, occisi canis ex cranio particulam desumpsit, figurâ & magnitudine ei quæ ense ex capite nobilis ablata respondentem, eamque loco læso adaptavit; & hæc methodo integrè sanitati redditus nobilis. Hic miraculosè restitutus, rem gestam, gaudio exultans, amicorum notorumvè variis, enarravit, qui eandem Theologis, & per hos *Metropolitano* communicarunt, sicque effecerunt, quod, excommunicatione institutâ, ad loca ea quibus conveniebant Christiani, per totam *Russiam*, accessus Nobili dicto denegatus fuerit, usque dum ossis capitis canini particula indicata unita maneret ossibus capitis christiani hominis. Nobilis Ecclesiæ membris annumerari malleus, quam, ad veram curationem, quævis non perferre, Chirurgum ossis canini fragmentum auferre jussit, sicque, curatione aliâ adhibitâ, excommunicationis vine effugit.

Tertia Fracturarum Cranii species Paulo habetur **EXPRESSIO**, quæ contingit quoties cranium per casum, ictum, percussionevè in partes varias dividitur, sic ut etiam fragmenta quedam eo usque se ad inferiora dimittant, ut non solum membranam Cerebri deprimant, dividantque, sed & Cerebro ipsi continui solutionem inferant, quo-

rum quædam ad ventriculos ipsos quandoque descenderunt, quod artis Chirurgicæ cultorum in gratiam, doctrinæ gratia observatione sequente illustrare confirmareque possumus.

Bernardus Diderici Weghuysen, Sartor, gravilæditur ictu dextro osse parietali, sic ut fragmenta varia cranii vulnerati non solum meningem duram, tenuemque læderent, sed & ad ipsas usque ventriculorum cerebri cavitates se dimitterent, & quidem vehementia summâ, uti in aperto post mortem cadavere spectatoribus notare licuit.

Vulneratus domum petit, nullius auxilium implorans, jussu amplissimi magistratus civitatis nostræ, rogatve hospitis, eum accessi, cujus ex cerebri interioribus incredibilis magnitudinis particulam à cranio læso separatam, præter fragmenta alia minora, instrumenti commo-



di beneficio extraximus. Artis nostræ studiosis veram *fragmenti* dicti quoad figuram & magnitudinem delineationem exhibere valdè conveniens ducimus, est ea quam hîc damus.

Die xxxiii Februarii curæ nostræ commissus æger prædictus qui ix Martii obiit. Consideratione nostrâ dignum quam maxime in hoc ægrotante, quod singulis diebus, à tempore eo quo ipsum accessimus, usque ad diem mortem penultimo præcedentem substantiæ Cerebri quantum cochleari contineri poterat per Vulneratum locum effluerit, loquelâ, ingenio, iudicio, integrè se habentibus. Ast instante ut diximus morte, febris, delirium, hæmeplegia, inter alia symptomata, superveniebant.

Materiæ huic, quæ Expressionis historiam, variaque symptomata, exhibet, antequam finem imponamus, consultum omninò censemus exemplum priori simile, ast cuius terminus longè felicior, hîc proponere. Chirurgus huius loci eximius *Bernardus Hæems*, cuius curæ commissus æger, quique mediorum convenientium opera pristinæ valetudini eum restituit, ejus nobis copiam fecit, literis ea de re scriptis, inscriptisque nobis.

AMICISSIME.

CUm constet, rerum variarum, rariis occurrentium, perscrutatore Te esse, ardet hæc jam à multis annis nos junxerit necessitudo, intermittere hæc potui, quin singulare singularis

A 5,


fractu-

fracturae cranii in puero x aut xi annorum, ex casu gravi, inducta, tibi communicem. Frontis hic os, aliis coronale dictum, laesum adeo, ut particula quadam separata, quae & Meninges vulnerabat & Cerebrum ipsum, praterquam quod externa capitis integumenta vulnus exhiberent insigniter amplum. Locus laesus substantiae Cerebri notabilem quotidie exhibebat quantitatem, quam vel ipse, prater Chirurgos alios, non semel inspexisti. Nec vomitus, nec delirium, nec sanguinis per nares, aures, aliavè loca fluxus in egrotante hoc unquam observabantur, insignis licet amplitudinis apertura, restitutus brevi aeger. Considerabilem hunc casum Tibi publicoque haud invidere placuit. Vale.

BERNARDUS HEEMS.

Quarta Fracturarum cranii species DE S E S S I O est, ubi os laesum versus inferiora procidit, sicque meninges Cerebri deprimuntur.

Lethalis saepè affectus hic, quo sic humores ad meninges ipsas defluunt, nullâ datâ evaporatione, quod inhibere valdè arduum est. Observavimus hoc in Capite textoris alicujus, cuius nomen *Simon Joannis*, qui à textore alio graviter cantharo stanneo percussus, sic tamen ut exterius vix aliqua solutio occurreret; in osse frontis circa futuram coronalem, os reperire nobis licuit, teneris omnino figuræ, magnitudinis ejus cujus delineatio addita. Vulneratus, nullius considerationis vulnus inflictum æstima-
mans,



mans, per tres septimanas oleum raparum loco læso inunxerat, & tamen erysipelas faciem universam occupans, febris, convulsio gravis, fracturæ supervenientia è medio eum sustulerunt.

Viâ longè aliâ processimus cum *Francisco Henrici à West-Reenen*, qui ex loco satis alto procidit in saxum, sicque præter vulnus cutaneum, ad ossis frontis futuram coronalem, à parte sinistra, Defectionem ossis dicti contraxit. Ægrum hunc accedentes vulneri ad sanguinis fluxum inhibendum, labiorumque separationem justam promovendam, plumaceoli quantum necessitas exigebat imposuimus, non neglecto Emplastro Defensivo. Nec inconsultum visum fuit eodem hoc die, quo prima instituta visitatio, venæ sectionis ope sanguinis aliquam auferre quantitatem, fuit hæc ferè integræ libræ; aperta autem vena in brachio corporis sinistro. Quin & suppositorium ex sale, hierâ picrâ & melle eisdem applicari, antequam discederemus, curavimus, undè semel largiter dejecit.

Altero

Altero die stupiditatis se exhibebant indicia, febrisque, nullus aderat vomitus, licet sitis gravis, cordisque anxietas considerabilis, nocte prægressa valde fuerint molestæ. Vulnus ipsum fragmentum ossis dicti exhibebat, & quidem utriusque Tabulæ, quod ad ipsam matrem duram descenderat, elevatoriique operâ à nobis extrahebatur.

Fragmento hoc ablato, sanguinis extravasati, præternaturam hîc collecti, insignis quantitas, pulsu quasi continuo, per vulnus effluebat. Procedebatur hinc methodo curandi ea, quæ adhiberi solet in trepano perforatis craniis, quâ etiam paucorum dierum spatio sanitati pristinæ redditus æger.

Quinta fracturarum Calvariæ species CAMERATIO est, quæ divisio dicti ossis est, in quâ pars affecta camera modo exaltata relinquitur, ut Galenus tradit, ac intro à sanis fracturæ partibus ossa magis recedunt, membranisque Cerebri innituntur, quas contactu suo premunt.

Hujus conditionis fracturam nobis non nisi semel toto praxeos tempore notare licuit, in puero xiv annorum, qui, ex casu gravi, & Craniî fracturam contraxit, & utriusque brachii circa ligamentum annulare, sic ut cubiti utrumque os notabiliter loco fracto prominere. Ossa hæc brachii reponere impossibile nobis, quamcunque etiam adhibebamus diligentiam, forsan quod musculi versus suum principium violentius traherentur. Ne ergò in casu dolorifico, desperato, frustra

frustra laboraremus, maximè cum vomitus continuus, febris, narium auriumque hæmorrhagia, valdè molestant, sine sensu itidem, loquelaque decumberet æger, Naturæ negotium in totum commisimus, quæ, arte nullâ adjuta, symptomata enarrata tollere haud valuit, undè factum, quod nox sequens lethalis ipsi fuerit.

Materiam hanc antequam deferamus, è re Chirurgorum fore censemus, siquidem quæ de fracturarum Cranii specie hâc, Cameratio quæ appellatur, à veteribus proponuntur, minus arridere dicamus, quod enim inferiora versus cranium hîc deprimi tradatur, sicque foveas, quas fornices repræsentare volunt, constituere, undè meningum ab incumbente osse pressio, parum certitudinis habet. Notasse nos in defuncti nostri osse parietali arcum unum alterumvè, sursum tendentem, negare nolumus, imò plures se exhibuisse inferiora petentes, certum quoque, ast quo jure fornicum s. testudinum nomen tribui hisce queat non video, cùm omnes ex loco inferiore versus superiorem se extendant, ne utique à superiori ad inferiorem descendant. Antiquitati hic multum debemus, cui nomen dictum fracturæ huic imponere placuit, modo inversam camerationem à nobis vocari, concedant.

Ultima fracturarum Cranii *Paulo* COLLISTIO est, hanc in infantibus solis locum habere tradit, quod tamen falsum, cùm etiam in adultis, senibusque eam notare licuerit, describitur

ab

ab ipso, quod Calvariae divisio non sit, eoque nec fractura rectè dici queat ejusmodi affectio. Quibusdam, imprimis in infantibus *CONTUSIO* appellatur, sic tradente Hippocrate *lib. de vuln. cap.* Mulieribus atque infantibus propria magis affectio habetur, quod ossa calvariae molliora, tenuiora, adeoque flexilia magis possideant.

Hic ossis calvae in interiorem partem impulsio est aut inflexio, concavitatem integra existente calvae continuitate tantum efficiens, ut licet in cantharis aliisque vasculis ex plumbo, stanno, aut cupro confectis, si foris percutiantur, conspici. Continui solutio vera licet nulla hinc, undè fracturis annuntiarari nequit, symptomata tamen varia, eaque haud levia, non rarò ipsi juncta.

Anno 1656. xvj Augusti, ex mandato Ampl. hujus loci Magistratûs accessi mulierem, *Alldam, Wilhelmi filiam*, in qua præter vulnus satis magnum, proximè ad oram musculi temporalis sinistri, Contusionem reperi insignem in osse parietali.

Per octiduum & vigiliæ, & vomitus graves valdè, sine tamen febre notabili; ast die nono somnus invasit eum stupiditate quadam, laterisque sinistri paralyti; depressum os, quod tabulæ utriusque credebamus esse, beneficio instrumenti quod jam ante accuratè à *Scheelhanfio*, Chirurgo celebri, nuperrimè à *Joanne Schulteto* accuratissime depictum, & Triploides vocatur, levi manu elevare allaboravimus, quo facto

facto illicò & Paralyfis & somnolentia remittere ceperunt, ægraque sic sanitati reddita.

Contingit nonnunquam Cranii *impressione*s exiguas, casu, ictu, percussione, similive violentiâ externâ, obvenire, imprimis junioribus, nullo præsentè Capitis integumentorum vulnere; fracturæ, fissurævè quod si his nullæ accedant, saltem quæ à Chirurgo notari instrumentis digitivè queant, symptomatum verò graviorum authores sunt, imò, impressione permanente, si quæ superveniant, ferè tolli solent.

Veritatem dictorum in infantibus puerivè variis notavimus, inter omnes in filio *Abelis ter Laan*, cujus ossi frontis plumbeo instrumento Impressionem inflixerat puer alius; toto vitæ tempore in filio dicto observabilis ea fuit, neutiquam tamen molesta ipsi vel ulla fuerunt symptomata.

Prægressis fracturis Cranii *Paulus Ægineta* loco citato aliam addit, quam CAPILLATIONEM dicit, sensum hæc plerunque fallit, ferè latens, quia non facilè se ostendit, mortis causam sæpè adfert.

Capillationem hanc notari nobis datum in defuncti alicujus viri, ab alio variâ commotione in pavementum lapideum adactò. Dolor hic in principio obtusus admodum, parte capitis inferiore, latere dextro, hinc intolerabilis, cum hæmorrhagia dextri nasi continua. Duodecimo die sopor ægrotantem invasit, sine febre, sicque brevi cbiit.

Præ-

Præfente in arte medicâ celeberrimo Viro *Dn. Samuele Costero, Nosocomii publici Medico ordinario*, separatis integumentis Capitis mollioribus, Calvariæ partem superiorem qua fieri potuit curiositate abstulimus, hujus in basi, circa meatum auditorio nervo destinatum, latere dextro, Capillatio occurrebat, subtilis valdè, sub osse petroso ad basilare se extendens, cui cruoris, foetidique humoris exigua jungebatur quantitas.

Meningibus sanguis nullus incumbibat, imò ne quidem ipso in Cerebro aliquis reperiiebatur; nisi loco modò indicato, qui inter cranium & meningem duram per fissuram dictam hûc erat delatus, ubi spiritus Animales incalcrafti, suffocatique, sicque mors inducta.

Missis Fracturarum Cranii speciebus, quæ *Paulus Aegineta de fracturis Cranii* proponit, accedemus examen illius quam *Celsus, Hippocrates*, aliique varii describunt, singularisque considerationis habent, imò omnium ferè fracturarum periculosissimam, eò quod etiam si externo adpectu, & quantum Chirurgica manus præstare valet, post fracturas omnes, quæ oculis notari queunt, & tamen curabiles reperuntur, curabiles sint, nihilominus Chirurgum sæpius ab incepto desistere faciant opere.

Fractura hæc *Hippocrati* ΕΣΦΛΑΣΙΣ, CONTRUSIO *Galeno* dicitur, Os hic medium desidit, intraque recedit, quoties violentia quædam externa, ictus, casus, simileque infortunium præcessit,

cessit, simili omninò ratione, ac glaciem vi externâ frangi, ejusque particulam reliquo quod integrum est supponi facimus; quod enim medium defidit (verba sunt Hippocratis lib. de vulner. capitis) ab alio osse naturaliter se habente abruptum fractumque introcedit, adeoque necessariò rima adest.

Sollicitos valdè veteres Fractura hæc fecit, quod ex *Hippocrate* loco citato colligere licet, quem consulere non sine fructu Artis Chirurgicæ cultores poterunt; & sanè, non semel nobis occurrit, fractam Cranii particulam profunde adeò, sub osse cranii integro, fuisse protrusam, ut etiamsi terebrationes variæ, variæque ossis sani separationes, accesserint, neutiquam tamen vel ulla arte, ex loco eo quem occupabat alienum, auferri potuerit, quin ferè Chirurgi industria, laboresque summi, frustra adhibiti, sicque interierit æger.

Rei difficultatem, quodque ipsi supervenire potest periculum, non video quomodo, meo judicio, accuratius describi possit, quam quidem factum legimus ab Ampliss. Reipublic. hujus Consule *D. Nicolao Tulpio*; dum lib. 1. *objerv. cap. 1.* hæc proponit verba: *Cranium mi supereminet omnibus corporis nostri partibus, ita omnes fracturas ejus longe superat ea quæ Hippocrati ἑσφ'λασις dicitur, difficillime curationis.* Exemplum ejus rei Magnif. Consul loco citato proponit, addemus nos aliud.

Jacobus Cornelii graviter ligno duriore vul-

neratur parte Capitis dextra, ad os bregmatis, proximè ad marginem musculi temporalis; ita sæpius inter milites, nautasvè à verbis ad verbera itur. Per octiduum *Daniel à Swieten* Chirurgus vulneris curationi præfuit, accessimus nos cum *Georg à Loon* Chirurgo alio, pulsus hic moderatus, sic ut febris indicia nulla, mens constans, quantum ex verbis colligere licuit, in vulnere ipso fragmentum cranii sat notabile desiderabatur, quod ab osserequo integro, cui subjacebat, tegebatur; imò & fissura, ad os petrosum se extendens, hîc occurrebat.

Vir erat vulneratus vitæ dissolutæ, ad ea quæ de periculoso ipsius statu proponebantur, neutiquam attendens, quin potius maledictis atque blasphemis Deo ipsi se opponens. Nostrium fuit in re gravi nulla negligere tempora; decimo adeoque die à tempore inflictionis Trepanisationem Cranii aggressi sumus, ad modum mox declarandum, quo sic particulam ossis fracti, firmiter admodum sub eo quod integrum adhuc hærentem, auferre, imò & sanguini extravasato sicque loco alieno detento exclusionis locum commodum concedere, liceret, secuti hâc in re Magni *Hippocratis* inter alios doctrinam, qua primâ occasione Cranium perforari debere tradit, antequam vel febris, vel alia symptomata, sese manifestant, quo sic facilius, in commodum æque Chirurgi ac ægrotantis, os absconditum in conspectum veniat, imò extrahi queat.

Trepan-

Trepanifatio antequam institueretur, necessarium duximus sectione triangulari locum cum ubi trepanum applicandum præparare, latus infimum hujus trianguli musculi temporalis in margine, quod tamen displicet *Vesalio*, *Fallopio*, aliisque Anatomicis, qui musculi hujus circumferentiam ferro ullo lædi, admittere nullo modo volunt. Arridebat quam maximè Chirurgica hæc operatio, in ipsâ musculi dicti circumferentiâ instituta, utpotè quam fructuosam sæpius, nunquam exitialem, reprehendimus.

Die Trepanifationem sequente fragmentum profundè submersum, cranioque arctissime adhærens, qua fieri potuit dexteritate, Triploides ope eximere allaboravimus, ast inexpectatus,isque valdè notabilis, sanguinis fluxus, ab opere incepto desisteremus, fecit. Fluxu nihilominus hoc usu Fungi (neutiquam pulveris styptici) sedato, ossis fracti labia inæqualia, asperitatem maximam adferentia, quo fragmento ipsi exitus commodior concederetur, auferre die altero studuimus.

Die decimo tertio repetere placuit fragmenti dicti ablationem, instrumenti modò indicati beneficio perficiendam, ast irritum omne conamen, qua enim & dexteritate, & circumspeditione procederemus, impedire minimè potuimus, quin sanguis impetu summo, rivulosè admodum, prodiret, undè subitanea expectanda mors. Ab opere adeoque ipso desistere coacti, nulla præsentē febre, vulneris habendam quam

maximè rationem consultum duximus, quo puris boni proventus promoveretur, & sic Deo atque naturæ negotium totum commissum.

Successit curatio ad diem usque vigesimum octavum, quo tempore nil nisi mel rosarum cum spiritu vini vulnerato ossi applicatum, Emplastro de Betonicâ super imposito, ast post dictum diem omnia in pejus rudere videbantur; vomitus etenim graves, alvi fluxiones largæ, febres continuæ, convulsiones considerabiles, valdè affligebant ægrum, imò quæ circa vulneris labia, purisque constitutionem alias exitum salutarem morbi prædixerant, mortem instare jam, præter naturam constituta, indicabant, quæ etiam brevi secuta.

Consideratis fracturarum speciebus iis, quæ manifestæ magis sunt, aut saltem hætenus notæ, eam etiam proponamus necessarium omninò, quæ occulta magis, eò quod conjecturâ potius quam sensibus adesse constet: statum eâ laborantium his verbis deplorat magnus *Hippocrates*: *Certè infelices omnes, ad quorum occultos morbos, nec oculis, nec iudicium pertingere potest.*

Morbus hic occultus Chirurgis **CONTRA-FISSURA** dicitur, *Est enim Fissura infortunio, casu scil. iëtu, percussione in parte cranii eâ quæ læsa aut vulnerata opposita, producta, ad eum modum, quo ollam ea parte quam duriore quodam corpore percussimus minime lædi notamus, at verò eâ quæ opposita est frangi.*

Haud crediderim existere Chirurgorum ul-
lum,

lum, quem lateat Contrafissura hæc, si modò Cranii fracturas omnes ritè cognoverit, frequentius occurrere quotidiana experientia tradit, quam varii sibi persuadent; legi hæc de re possunt quæ *obs. Med. 2. l. 1.* proponit *Cl. Nic. Tulpius.*

Experientiæ dictæ, omniumque ferè Chirurgorum placitis loc. cit. sese opponit *Paulus Ægineta*, seipsum se decipere omnes eos docens qui Cranium unâ parte lædi, oppositâ verò frangi, vasis ad instar vitrei, sibi persuadent. Ratio ipsius à futurarum multitudine desumpta est.

Quid opponere hîc licebit? non nisi experientiam, sæpius etenim Contrafissuræ nobis occurrerunt. Tot auxilia medica suppeditari vellem, quibus ad curationem Contrafissurarum cum fructu uti liceret, quot se rationes exhibent quibus errores eorum, qui *Paulum* hîc sequuntur refutare concessum.

Cum ergò mediorum medicorum in hoc casu penuria adsit, imò partem læsam certò cognoscere haud liceat, certi etiam aliquid quoad curationem hætenus constitui non potuit; placet tamen Contrafissuræ hujus, cujus exempla varia occurrerunt, unicum hîc loci exemplum proponere, ne revera eam dari, dubitare, negarevè pergant varii.

Fredericus Hermannides futor, ebrius, mediâ nocte obviam venit virorum eorum quibus excubiæ nocturnæ hîc loci demandatæ aliquibus, indicetur hora noctis exigit, displicet re-

Sponſio, ſubortæ altercationes, has excipiunt verbera, unus enim excubitorum haſtâ, quâ erat armatus, capitis ſutoris partem dextram, ad aurem, ubi os ſe exhibet bregmatis, graviter ad eò percuſſit, ut coactus fuerit, aphonîâ vertigineque correptus, in terram procidere. Sopor illicò ſupervenit, & hemeplegia, aſt haud diu vulnerato moleſta fuerunt ſymptomata hæc, non minimum terroris & reo & conſanguineis vulnerati adferentia, priuſquam enim duodecim tranſirent horæ vivis annumerari deſiit.

Caput jūſſu Ampliſſimi Magiſtratus aperuimus, præſentibus Scabinis variis, loco dextro, qui haſtæ impetum ſuſtinuerat, contuſio cutis levis occurrebat, pericranium aliquomodo ſanguinolentum, in Cranio verò ipſo nec rima, nec fiſſura, nec fractura ulla; imò ſanguinis nihil omninò vel in ſubſtantia Cerebri, vel inter Cranium & Meningem duram, at verò in latere oppoſito ſiniſtro, circa inferiora oſſis bregmatis, proximè ad oſſa auditus non ſolum ſanguinis obſervabatur notabilis quantitas, Meningem moleſtans, ſed & in ipſo cranio fiſſura duplex.

C A P. II.

De abſceſſu hepatis fracturam Cranii ſecuto.

INnumerabiles affectus quibus obnoxium caput, exterius ſivè ſpectetur, ſivè interius, varii & illi quos communicat partibus aliis. Capiti obvenientia vulnera, levia licet quandoque ha-

habeantur, periculosa tamen ut plurimum, symptomatibus variis stipata, quorum præcipua cæcitas, surditas, aphonia, delirium, fatuitas, paralyfis, epilepsia, convulsio, suppuratio partium internarum, & centum alia.

Abscessum secutum partium internarum Cranii fracturam non uno confirmatur exemplo; Nosocomium hujus loci publicum exhibuit & nobis & aliis considerabile. Rarius talia cum obveniant, utile omninò duximus, quo de causâ certi aliquid constet, Medicis nonnullis quæstionem hanc proponere.

Cùm non rarò vulnus Cranii & Cerebri sequatur suppuratio hepatis, quæritur per quas vias Purulenta materia ex Cerebro deferatur ad hepar?

Quæstionem hanc proponere placuit hujus loci Medico celeberrimo *Paulo Barbette*, his verbis:

Vir Celeberrime.

Quo penitus Chirurgiæ penetralia pervestigamus, eo magis quæ in eâ occurrunt difficultates nos confundunt. Hic hæremus; Chirurgi Regii *Ambrosius Paræus* lib. 10. cap. 12. & *Petrus Pigræus* lib. 4. cap. 8. mentionem faciunt abscessum, qui in hepate, ventriculo, mesenterio, aliisque ventris imi visceribus superveniunt Cranii fracturis. Exemplum nobis exhibuit in Nosocomio nostro decumbens *Otto Reynerfon Oldeburgensis*; vulnera hujus capiti inflixerat tripli-

cia socius, quorum præcipuum occipite oscurrebat, ad suturam lambdoideam, fractura Cranii quæ ἵεφλασις Hippocrati vocatur, ubi nempe fragmentum se dimittit ad inferiora, sic ut sub osse integro abscondatur, stipatum. Ad remotionem fragmenti dicti Trepanisationem instituere consultum duximus, quod etiam successit. Ad diem usque 20 liber omnino æger ab omni febre, convulsione, paralyti, sopore, vigiliis, vomitis, imò symptomatibus omnibus, quæ fracturis cranii supervenire solent. At paucis diebus antequam moreretur, de dolore gravi circa hepatis, ventriculi que regionem conquestus est.

Querelas inter purulentia in vulnere existens, quæ copiosa valde, imminuebatur admodum, labiorumque vulneris, similiter ac fundi ejus, insignis notabatur siccitas; accedebat febris gravis, cum delirio, & sic vigesimo octavo die obiit.

Eodem die ex mandato Ampliss. Magistratus, presentibus Samuele Costero & Henrico Lons, Medicis, Caput defuncti aperuimus, in quo fractura occurrit, cujus conditionem suo tempore ex diario meo Tibi prælegam, ast ad ventrem imum, cujus dolor valde fuerat molestus, ubi pervenimus, Hepar invenimus valde tumidum, abscessu notabili correptum, ex eo enim aperto puris ea effluxit quantitas, quam pinta dimidia vix continere poterat.

Ex capite hanc materiam eo defluxisse probabile valde, ast per quam viam hoc factum, ignotum nobis. Tu queso Vir Doctissime eruditâ tuâ
pennâ

pennâ eam indica, quo non solum eruditiores evadamus, sed & quantum possibile & proficium, in commodum egrotantium, vias tales tollere, corrigereve queamus; cedit hoc in nominis tui gloriam, proximique salutem. Vale Vir Optime, responsorias primo tempore expectamus. Fuerunt hæ sequentes.

Chirurge celeberrime.

MOnarcha perfectus similis neutiquam imperfecto Alexandro Magno, metuit hic ni novus craretur orbis, aliquid restare, cujus se victorem dicat, ille in antiquo novam indies suggerit materiam, quo diligentia atque curiositati nostræ semper aliquid occurrat, quod melioris notæ iis, quæ ante hac inventa cognitaque fuerunt, nulla artis nostræ pars, in qua non jam ab aliquo tempore vera hæc esse experti sumus, nec licet nobis, nisi ingratis, excellentiorem eam profiteri eâ quæ ante annos centum exculta. Constabit hoc, inter alia, ut spero, ex iis, quæ ad questionem à te propositam ex veterum fundamentis respondere licebit. Est hæc: cum vulnus cerebri sæpius sequatur suppuratio Hepatis; queritur per quas vias purulenta materia à cerebro ad Hepar deferatur?

Consensus qui totius est partiumque omnium in specie spectatarum, magnus valde, atque diversus, ob spirituum, vasorum sanguiferorum, nervorum &c. multitudinem atq; diversitatem, quorum totum corpus pererrantium beneficio quoties vel abjectissima pars corporis male constituta, illicò sta-

tus praternalis communicatur cerebro , imò toti microcosmo ; Constat tamen, nec inficiari licet, notabiliorẽ esse consensum, qui est partium triplici corporis ventre contentarum, eo qui est partium his inclusarum ipsorumque artuum. Ratio hæc quæ proponimus confirmat, confirmat & experientia, imò authoritas virorum Doctõrum suum huc contribuit. Perpende quæ magnus noster præceptor Coss hac de materiâ habet, Vir sanè, quem majoris æstimamus in arte nostrâ, quam olim Poëta Bartafius 2 jour de la 2 semaine, in arte sua popularem juum, hæc proponendo.

Marot que je revere ainsi qu'un Colisée
Noiroy, brisé, mouffu ; une medaille usée,
Un escorné tombeau non tant pour leur beauté,
Que pour le Saint respect de leur antiquité.

Artifex noster post tot secula idem sapientibus nostri ævi, felices omnes quibus volupe fuit tempora sua scriptorum ejus lectione consumpsisse ; Accipe artis nostræ cultor variis locis ab eo proposita consensum viscerum internorum clarè declarantia.

Coac. Prænot. cap. 4. §. I.

Capitis dolor vehemens cum febre acuta & alio signo maligno lethalis est : ceterum sine signo malo, viginti diebus transactis, sanguinis fluxum aut pus è naribus, aut abscessus ad infernas partes significat, &c.

Ibid. §. 28.

Affectiones soporem, fatuitatem & catocen inducentes, variantia hypochondria, & ventrem tumidum habentes, cibum fastidientes, alvo suppressa exsudantes, num his turbidus spiritus, & genitura simile quid prodicens singultum significat? nam & alvus biliosa insuper egerit? spumofus in his miētus prodest; ventres quoque his insuper turbantur.

Libro de aëre aquis & locis.

Sectio venarum pone aures (nobis nunc tam inusitata quàm incognita) infœcundos facit.

Aphorism. lib. 6. aph. 50.

Quibus præciditur cerebrum, his febrem, & biliosum vomitum supervenire est necessum.

Galenus, Erasistratus, Macrobius, aliique, ob diligentiam summam, iudiciumque singulare à multis minus iusto, ob errores plus debito, laudati, non solum confirmant ea quæ Antecessor allegatis locis docuerat, sed & rationes addunt varias, à distributione varia Nervorum, sextæ imprimis conjugationis, quorum ingens in ventre medio & infimo datur copia, maximè in Ventriculi orificio superiore s. sinistro, desumptas.

Haud displicuisset, si Meninges cerebri prægressis addere placuisset, eo quod pectoris, imique ventris interiora tegant, mutuique consensus eorum
vel

vel maxima causa sint, uti in sternutatione, tussi, vomitu, &c. evidentissimè patet.

Hic via ferè detecta, qua manifestior foret, siquidem cum Glissonio nutrimentum partium nervosarum per nervos adduci, statuere liberet, nervorum par sextum, vagum antiquis dictum, facillimo negotio purulentam materiam ex cerebro ad hepar deferret, ast cum minus hoc placere curiosis sciamus, alia nobis querenda via, eaque commodior.

Primo, cerebri vulnere supervenire hepatis abscessum, certum judicamus, observationem tuam, accuratè satis notatam, testimonia variorum in arte nostrà exercitatorum, Medicorum aequè ac Chirurgorum, imprimis Ballonii, Paræi, Pigræi, &c. confirmant adeo, ut de certitudine ejus dubitare nec queamus, nec debeamus.

Secundo pus idem, numero & specie, à cerebro ad hepar deferri, (contra ac Te judicare scimus) minimè admittimus, at hîc collectum pus aliam omnino agnoscere causam, mox declarandam, quam quæ est puris in cerebro.

Tertio sollicitum me neutiquam declaro, qui inquiram in rationem, cur veteres solliciti adeo fuerint, ut, quæ affectus hujus duplicis causa, constaret, certam etenim eam exhibere neutiquam iis datum, doctrina circulari de sanguinis fluxu (quam magno Hippocrati notam fuisse vanè admodum plurimi contendunt) eaque sola lucis plurimum huic negotio conferet, nec crediderim, rationem quæ satis facere veritatis cultori queat dari posse quæ eidem haud insistat.

Sit ergo hæc ad quæstionem tuam responsio. Cerebro vulnerato vasa sanguifera arteriosa similiter læsa, cerebri ipsius siue sint, siue membranarum ejus, sanguini contento, uberius, parciusve exitum concedunt, hic calore spirituque privatus sensim putrescere incipit, veramque in materiam purulentam converti; Accedit, quod sanguis nutritivus circa vulnus ex debito mutari nequeat, unde facile in pus convertitur; & hac ratione suppurationis datur incrementum, nisi natura vel ars inhibeat. Circularem suum motum interim absolvit sanguis, mutationis plurimum non solum in corae, sed & partibus principibus aliis, assumens. Corporis sic partes omnes pererrans sanguis, ipsumque adeo cerebrum malè constitutum, non potest non pravam contrahere dispositionem; pravè hic dispositus per arteriarum carotidum ramulos cerebri substantiam percurrentes, Meningis duræ exhibetur sinibus, qui receptum deferunt in Venas jugulares, & per has in ipsam venam cavam, sicque in ventriculum cordis dextrum, ex quo, postquam in sinistrum deductus, facilis ad hepar descensus; in hepate, nobili satis parte, sanguinis ulterior coctio, a bile itidem aliisque excrementis separatio perficitur. Difficultatis adeoque quid subest, quo minus sanguis, impurus adeo, hepar accedens, suppurationi ejus ansam materiamque præbere queat.

Via hæc patens adeo, ut nullus dubitare queam, quin mecum eam inire hand recuses. At instabis; cum sanguis corporis partes omnes pererret, cor, pul-

pulmones, lienem, renes &c. quid causa subest, quod solum hic afficiatur hepar? Ad questionem hanc respondeo, Cor substantiâ constare solidâ, compactâ, caloreque insito vegeto, hinc paucis subjectum esse morbis, hostem suum vi singulari expellens; Idem quoque Lienem prestare, reticulari nervorum ex plexu compositum, hâcque sua structurâ non solum ab aliis partibus plurimum differre, sed &, quod rarissimè in cadaveribus male constitutus reperiatur, efficere; Pulmonem ob substantiæ raritatem, vasorumque amplitudinem hand adeo facile affici posse; Renes impuritates suas sero communicare, sicque per urinam evacuari permittere, at longe aliter cum Hepate constitutum esse; eo quod per venam portæ sanguis illi offeratur multò crassior, fœculentiorque eo qui per venam Cavam, quod & color diversus, & consistentia varia clare, satis indicant; ductuum lympham ad chyli glandulas receptaculaque ventientium numerus adsit insignis, in quibus ob summam subtilitatem, parvitatemque facillimum humorem subsistere; sanguinis purificationi coctionique continuo inserviat, præter vasorum, biliariorum, sanguiferorumque, maximam copiam, miramque complicationem, vix aliud, ut substantiam componentem, agnoscens quam sanguinem concretum, unde & parenchyma jam a longo tempore dictum, quæ quidem soliditatis aliquid habet, æst fibras possidet firmas minus iis quæ sunt cordis, renumque; quibus accedit, quod arteriis gaudeat paucis, iisque exiguis admodum, respectu nempe

alia-

aliarum partium, hinc spirituum vitalium quantitate minore, unde est quod hostium impetui resistere minus queat, sicque morborum plurimorum nutricula. Scriptis his quæ desunt, ad pleniorrem explicationem data occasione, verbis addeamus.

BARBETTE.

Litteræ hæ quod si Chirurgiæ cultoribus haud satis fecerint, non scio quid adferri queat, ad id ut, quo modo, quave via materia purulenta ex Cerebro vulnerato ad hepar deferri possit, declaretur; in gratiam juniorum ea quæ Medicus eximius *Nicolaus Zassius* ad Epistolam nostram ea de materia ipsi missam respondit, prægressis addemus.

Celeberrime, Doctissimeque Vir.

Questionem Medicis aliis propositam ne queso agrè feras, quod & poli'o tuo iudicio, experientiaque singulari offerre ausus fuerim, est ea: cum vulnus cerebri sepius sequatur Hepatis suppurationis,

Per quas vias materia purulenta à cerebro ad hepar deferatur?

Ad hanc certius ut respondere queas necessarium omnino ducimus casum cum proponere qui nobis occasionem suggessit eam instituendi.

XII Mensis, junij in nosocomio publico Amstelodamensi curæ nostræ subiectus juvenis viginti præter propter annorum, melancholicæ temperiei, statu-

statura medie, tribus locis in capite vulneratus; vulnere gravissimum in occipitis occurrebat declivior parte, proximè ad suturam lambdoideam, cui jungebatur fissura, similiter ac fractura ad meningem penetrans duram; fractura inherebat fragmentum ossis hujus figure & magnitudinis



deorsum dimissum ad spatium quod est inter duram matrem & cranium ipsum, sicque fractura eam constituens speciem, quæ Hippocrati ἰσπλασις appellatur.

Fragmentum hoc, molestum valdè vulnerato, doloris gravioris causam, impedimentum singulare evacuationis materie purulenta fragmento dicto succumbentis, quo tolleretur, instrumenta varia adhibita, elevatoria imprimis, ast frustraneus omnis labor, Trepano cranium perforare necessarium fuit.

Primo a tempore ad diem 20 immunis hger fuit à febre, siti, vigiliis, sopore, vomitu (nisi quod lumbricum evomuerit) delirio, convulsionibus, ast à die dicto puris per vulnus effluere soliti, sub cranio collecti, copia imminui cœpit, accedente febre, doloreque hypochondrii dextri summo; Tercio ante mortem die febris, ast ultimo delirium, valdè augebatur, dolor contra hypochondriacum imminuebatur, 28 mensis dicti obiit.

Defuncti & Caput, & ventrem imum aperiri placuit Amplissimo Magistratui, tum quod ventris dolore gravi circa hypochondrium dextrum laborasset defunctus ante obitum, tum quod ad

vulnere

vulnus Cerebri non rarò abscessum hepatis sequi, ex nobis percepisset Magistratus dictus; pro me adducebam auctoritatem Ballonii lib. de morb. Epid. Paræi lib. 10. cap. 12. & Pigræi lib. 4. cap. 8.

Calvariâ ablatâ puris exigua valdè quantitas sub loco vulnerato reperiabatur, eaque dura incumbebat matri; circa os occipitis, ubi fissura aderat cujus supra mentionem fecimus, Trepano facta perforatio, fragmentumque elevatorio remotum, puris nihil omninò invenire licuit, ast omnia hîc, mater imprimis dura, laxa admodum, madoreque perfusa.

Ad foramen ossis occipitis, per quod spinalis medulla ad vertebrae spinæ descendit, ubi devenimus, omnia, membranas imprimis medullam investientes, musculosque cervicis caput retrorsum moventes, sero scatere reprehendimus, quæ tamen humiditatis collectio gravis nunquam egrotanti fuerat.

Relicto capite anatomen aggressi sumus Abdominis, ubi primo nobis occurrit Hepar, & in eo abscessus, pila magnitudine respondens, puris libram semis exhibens.

Finem hic imponimus observationi nostræ, quam nudam adèò proponere placuit, quo quæ illustrationis loco exhibere Tibi Viro literato animus pleniori stylo nobis offerantur; sententiarum nostros inter Medicos Chirurgoſvè mira varietas; sunt qui volunt puris collectionem hepatis constitutioni morbose adscribi debere, atque ex cerebro minimè de-

fluxisse; Placet aliis, quorum numerus insignis, purulentam materiam a cerebro per vias occultas ad hepar defluxisse, & hujus dicti rationem inde imprimis deducunt, quod notatum fuerit, quoties in cerebri vulnere puris imminutio, toties in hypochondrio dolorem augmentum sumpsisse. Lympha tua lucis plurimum commodiori huic deductioni puris ex capite ad hepar adferet; Galenus lib. 6. de locis affect. cap. 4. Pus sincerum ex Pulmone deferri posse scribit per arteriam venosam in ventriculum cordis sinistrum, ex hoc in arteriam aortam, hinc in emulgentia vasa, sicque ex renibus per ureters ad vesicam, quo cum urinâ evacuetur.

Ambros. Paræus lib. 17. cap. 51. in Secretario Sarlet, quoties brachium vulneratum parum exhiberet puris, toties urinæ, alviq; fœcibus multum ejus permixtum fuisse, testatur,

Ampliss. D. Consul Nicolaus Tulpius observ. Med. lib. 2. cap. 6. & cap. 27. Historiam nobis proponit, ubi purulentia pectoris in sponsâ quadam per umbilicum viam sibi elegit, imo hepate collectum pus per os & alvum evacuari posse notatum.

Clar. Medicus Guiljelmus Piso, Brasiliæ præxin exercens in seruo cujus Cranium fractum, casum similem observavit, & hæc observatio occasionem ipsi dedit, ex me, aliisque, etiam me parario, ex Te, quibus viis materie dictæ translatio perfici queat, inquirendi.

Vale Vir summe, brevique quæ habes hûc scientia communica, nihil unquam, considerationi alien-

alicujus, hîc occurreret, cujus te non primo tempore participem faciam, interim

*Officia mea & hîc & ubique
Tibi offero*

JOB à MEEKREN.

Responsoria hæ sunt.

Vir curiosissime, Chirurge expertissime.

AD solutionem questionis propositæ respondeo, abscessum eum quem in casu proposito hepatis innatum scribis, ad instar pile luforie, materiæ purulente non exiguam copiam exhibentem, visceris illius contusioni, aut læsioni cuicunque adscribendum esse, unde putrefactio secuta.

Sententiam meam confirmant abscessus circumscriptio, extensio, quæque eo faciunt, pile etenim figuram formamque habebat in hepatis parte convexa notabilis.

Querelas quas dolores hypochondriaci causant Hippocrates defendit in aphorismis, dum dicit: dum pus sit dolores & febres augentur at eo facto imminuantur, imò desinunt.

Sequi nihilominus quandoque abscessus hepatis, & mesenterii capitis vulnera libens concedo, sola auctoritate Petri Pigræi motus, cujus cap. 12. lib. 4. videri potest. Placet ipsi abscessum Hepatis & Mesenterii originem ducere ex consensu partium, qui nervorum recurrentium distributioni variæ debetur. At hoc in hepate locum non inve-

nit, cum Nervi dicti à sexto pari provenientes hic non inveniantur, Placent nihilominus quæ proponit Vir citatus, cum certum mihi sit (concedatur pro libertate animi sensum proponere) similiter ac nervi nihil aliud sunt quam cerebrum expansum, membranas etiam nil nisi nervos extensos & ampliatos esse, adeoque consensum partium æque membranarum quam nervorum ope perfici.

Vias ubique exactas eligere mathematici est, in cerebro nostro tales fingere licet, ast reipsa invenire impossibile.

Ipsa per ossa purulentam materiam natura trahere novit, Hippocrate teste, quid obstabit, quominus, faciliori etiam negotio, per arterias, vel etiam ligamenta ipsa, quorum beneficio hepar toti cohæret, eadem efficiat, corpus ut enim totum perspirabile est, sic & fluxile.

Imò ex sententia Galeni lib. de loc. affect. 6. cap. 4. (si bene memini) pus omne, per arterias, venasque totius corporis variè agitato sanguini jungitur, sicque minimè eidem mixtum, ad renes deductum, cum urina excernitur, quæ omnia epistolio tuo proponere nobis placuit. Hæc similiæque naturæ alicui proprietati, quæ chymicis archæus, faber, artifex, & Medicus naturæ, vocatur, adscribuntur; opus hæc suum perficit non ratione vel iudicio, sed vi sola atque viriute facultatis secreticis atque expultricis, uti in scholis loqui solent, vias sibi eligens occultas. Serosus liquor, æque in vasis ac extra ea detentus, vias, fœculentarum impuritarum accessu sæpius imper vias an disponat, adeo

adeò ut puri ad hepar facilis concedatur aditus, considerari meretur.

Serosam quod spectat humiditatem, quam copiosam repertam fuisse scribis circa integumenta spinalis medullæ, de quarum tamen partium læsione nunquam conquestus fuerat ager, lympham eam credimus fuisse, innoxiam corpori, eo a naturâ ablegatam, quo a periculis præservarentur partes.

Hæc ad propositum tuum. Vale, salutem meo nomine indices Clar. Guiljelmo Piloni, cujus labores in describendis Brasiliæ fructibus, Herbisque valde probamus.

N I C. Z A S.

C A P. III.

De Fracturis iisdem.

AD quæstionem propositam quæ responderunt Medici adducti, Artis nostræ cultoribus satisfacere posse credimus; nihilominus cum plurimi reperiantur, quibus ea displiceant, imò observata nostra æque ac sententiæ diverforum Authorum fabulis annumeranda habeantur, ex eo, quod, si quando abscessus in viscerum internis reperirentur, haud adeò fracturis Cranii adscribi debeant, quam quidem morbis eorum variis, placet observationem aliam prægressis jungere.

Die 7 mensis Juny curæ nostræ subjectus *Henricus Henrici Osnabrugensis*, in quo ex ictu os frontis fractum, depressumque notabatur;

duodecimo ab hoc tempore die obiit æger.

In hoc, æque ac in aliis decumbentibus, de dolore lateris dextri, puris in vulnere imminutione, denique febre, atque delirio, quærelæ fierunt.

Calvariâ ablata pituitosa occurrebat, eaque corrupta materia, non solum in latere capitis dextro circa piam matrem, sed & in sinistro (eò quod ex concussione Cerebri arteriæ lacertæ) circa sinus.

Relicto capite, quod de dolore hypochondrii dextri, dum in vivis æger, valdè conquestus, purisque in loco affecto imminutio considerabilis, Ventris inferioris viscera accipimus; ad hepar ubi devenimus palmæ ferè magnitudini accedentem inflammationem in eo reperimus, quæ sine dubio purulentæ collectioni anam dedisset, siquidem diutius in vivis fuisset jam defunctus.

Observata hæc nostra ultima quibus satisfacere nequeunt legant, quæ simili de materia habet *Petrus Marchette obs. Medic. sylog. obs. 14.* Quintò inquit observavi sæpissimè, quod quando in his vulneribus collum incipit dolere, parte potissimum postica, & laterali, tunc materia purulenta delabitur ad Thoracis, & abdominis cavitatem, quæ longiori mora cum pulmones, tum pleuram, aliquas nempe ipsorum partes, erodit, ex quibus multa fanies emanat, quæ postmodum ad abdomen defluit, cum Jecoris, & Lienis labe, in quibus varias pustulas excitat, quibus

quibus disruptis, perinde ac ex pulmonibus, & pleura, ita & ex his materia purulenta effluit; quanquam hujus observationis ignari, existiment, abscessus obortos in his partibus, quorum ratione patientes moriuntur, non ex capitis vulnere, quod ex Capite copiosum pus. Posse ad inferna viscera delabi non sibi persuadeant: prout in plerisque observavi, mediam thoracis, & abdominis cavitatem pure fuisse refertam. Quam observationem multis tum in theatro Anatomico, tum in Valetudinario S. Francisci demonstravi.

C A P. IV.

De sanguinis Narium fluxu per oculum sinistrum.

TESTE *Aristotele* solus homo inter omnia animalia hæmorrhagiæ narium subjectus.

Sollicitos hæc non raro facit non solum eâ laborantes, sed & adstantes, imò medicos ipsos, media quibus fluxum hunc inhibere studemus guttarum sanguinis exstillantis numero sæpius respondent, ferè sine ullo successu adhibita.

Heraclides Tarent. *Galeno* authore ablato prius cruore naribus inhærente, ad fluxum hunc cohibendum, turundam lycio contuso immissam naribus intrudere solitus fuit.

Chirurgi Germani, qui castra sequuntur, frustra adhibitis carpionum lapidibus, vel moscho craniis defunctorum innato, vel etiam bufone

præparato, ad verba quædam quibus virtutem occultam inesse certò sibi persuadent, plurimumque tribuunt, ipso *Borello Cent. 1. obs. 94* afferente, quæ tacitè (quod si enim aliquis audiret, vana omnia habent) mustitant: sunt hæc idiomate germanico.

*Gelyck Christus stil bleef staan im Jordaan,
Also must ook dien bloede staan.*

Pro secreto habent alii ex guttis sanguinis exstillantis quatuor aut quinque *vitriolo cyprio* pulverisato mixtis conficere unguentum axillæ illi quæ est ejus lateris, cujus nares fluunt, illiniendum.

Missis his similibusque aliis, nullius considerationis & efficacix merito habendis, haud inutile quantum omni tempore negotii veteribus æque ac recentioribus, Medicis, chirurgisvè sanguinis hic per nares fluxus creaverit, exponere, cognoscereque.

Hæmorrhagia narium quævis, docente *Hildano, parte 2. obs. 14.* si moderata fuerit, cum salutaris, subitò supprimi non debet, à dolore etenim capitis, variisque aliis morbis gravioribus hominem liberat; confirmat hæc exemplo *Simonis Clerckii aurifabri parte 3. obs. 11.*

Critica solutio morborum, salutaris sæpius, variis perficitur causæ morbificæ evacuationibus, per alvum, sudorem, urinam, sanguinis fluxum varium, etiam illum qui per nares fit;

qua

qua de re legi possunt quæ *lib. 22. cap. 28. de Fontano* refert *Ambros. Paræus*.

Animus haud est, ea, quæ medicæ considerationis sunt, ut chirurgica proponere, faciunt tamen hæc eo, ut chirurgiæ tyrones attendere discant, quam arduum malum narium hæmorrhagia gravis, quanquæ necessarium, remediis certis huc conferentibus instructum esse.

Haud ita pridem ex inordinato sanguinis motu non solum largior ejus fluxus per nares, in *Wilhelmo ab Erpecom*, mercatore hujus loci, à nobis observatus, sed & (quod nunquam antehac notare mihi in praxi chirurgicâ licuit, ab aliis, ut *Barthol. cap. 1. Hist. 2. Schenk lib. 1. fol. 197. & c.* propositum) per oculos ipsos, sinistrum imprimis, sic ut linteo quoties tolleretur oculo collectus, toties novus eandem illicò repleteret.

Hildano minus notam sanguinis fuisse per oculos excretionem vel ex eo colligere licet, quod *part. 2. obs. 16. de Reverendo D. Joanne de l'Ossea* agens hæc proponat verba: *Et quod mirandum, lachrymæ sanguinolentæ ex oculis prorumpabant.*

Hujus conditionis inordinatâ de ebullitione sanguinis *Hildanus part. 6. obs. 77.* exemplum adfert, in Reverendo Doctissimoque Viro, *D. Jacobo Blaunnero*, juvene robusto, observatum, hæc verba proponens.

Huic viro sanguis non tantum ex naribus cum impetu promanabat, verum etiam ex gingivis &

quidem sanis & incontaminatis exsudabat: ita ut sanguinem non solum responderet, sed & hinc inde circa gingivam, sub linguâ & intra dentes in grumos concretum cogeretur digitis extrahere.

Mercator noster consilio Medici domestici venæsectionem admisit, imò potiones varias refrigerandi, sanguinisque motum inhibendi vi pollentis, quin & styptica quædam naribus recepit, ast frustra adhibita omnia, suasu hinc Amici cujusdam lapides sanguinis effluxum cohibere valentes manibus detinuit, etiam si aliqua jam coagulatio in naso observaretur, & horum usu levaminis aliquid percepit.

Media hæc familiavè alia cum successu licet sæpius usurpata, in gratiam nihilominus juniorum placet nobis, antequam huic discursui finem imponamus, quædam eorum, quæ usui nobis fuere, nec unquam ferè nisi cum optato successu adhibita, quoties gravis ejusmodi narium hæmorrhagia ex sanguinis excedente ebullitione causata, homini fuit molesta, hoc loco proponere, quod exemplo uno alterovè illustrabimus.

Antè aliquot annos Rusticus quidam, juvenis, validus atque carnosus hæmorrhagia tentabatur gravi admodum, venæsectione brachii dextri institutâ sanguinis libram integram eduximus, moxi succum plantaginis commixtum succo limonum naribus recipi curavimus. Vincula itidem brachiis, pedibusque injecimus, lintea frigidâ madefacta fronti, testibusque appo-

suimus,

fuimus, adstringentia nostris in locis usualia applicavimus, at nihil his omnibus effecimus frumenti pro cerevisia, aut Sp. vini cocti reliquias, quibus saginantur porci, quibus multum in hoc casu tribuunt varii, cum succo plantaginis mixtas assumeret suasimus; at frustraneus omnis labor, continuabat fluxio, nec ullo modo imminebatur. Incidebat *obs. 17. part. 2. Hildani* haberi, sponsum quendam periculosâ imò ut videbatur, lethali hæmorrhagia narium laborantem suasu *Hildani* refrigeratione universi corporis, in aquâ frigida factâ fuisse curatum; hujus ad exemplum etiam author fui nostro ægro-tanti ut fluvio vicino se committeret nudum, quod etiam fecit, natationique fatis diuturnâ corpus suum adcò refrigeaverat, ut tremulus prodiret, at nec hoc medio fluxus sedatus.

Hiscæ sic frustra usurpatis *Limonis* recentis particulas teretes, linteo combusto, pulvere-que gallarum, incrustatas naribus imponi jussimus, & quidem ad eam altitudinem, ut vasorum sanguiferorum extremitates, si quæ essent læsæ, attingerent.

Intus assumebat quantum cochlearibus tribus contineri poterat, singulis tribus horis, mixturæ hujus, & quidem frigide

℞. *Aqu. Plantag.* $\bar{z}$ *vj.*
Sal. Prunell. $\bar{z}$ *ij.*
Laud. opiat. gr. *iiij.*
Camphor. gr. *ij.*

Syr. Papav. errat. ℥ j.

Spir. Vitriol. gutt. x.

Misce & detur usui.

Assumptâ primâ dosi, illico fluxus imminutus, imò sine ulteriore hæmorrhagiâ nox fuit quieta.

Joannes ab Heemstede, juvenis 18 circiter annorum, macilentus vâldè, & ex diuturno morbo debilis admodum, ex casu incidit in narium hæmorrhagiam largam; vocatus ego, quo laboranti succurrerem, venam secare haud audebam, quod vires impedirent.

Remedia hinc alia in usum ducere necessarium, styptica nempe naribus imponere ordinaria, vincula pedibus manibusque imponere, lintea frigidâ madefacta fronti, pudendisvè applicare; at iritus omnis labor; Coacti adeoque etiam in hoc ægrotante ad usum mixturæ modò præscriptæ, & Limonum modo dicto naribus imponendorum, devenire, applicato insuper fronti Emplastro nobis in tali casu usuali, cujus descriptio hæc est.

℞. Succ. Cand. Equin. Portulac.

Solani, Plantag. an. ℥ j.

Ol. Rosar. Myrtill.

Cydonior. an. ℥ iij.

Coquantur Olea & Succī ad consumptionem Succorum dein adde ceræ flavæ q. s.

*Lapid. Hematit.**Beli veri.**Nuc. Gallar.**Cortic. Granat. an. $\bar{z}$ j. $\bar{ss}$.**F. L. à Emplastrum.*

Et horum mediorum usu brevi sanguinis fluxio dicta sedata, in deliquium animi grave satis licet jam bis inciderit æger.

C A P. V.

De Epilepsiâ gravi, canterio actuali curatâ.

QUotquot mortalibus occurrunt morbi occasione ferè præbent ægrotantibus, querelis, ejulatu, suspiriis, adstantium aures replere; *Epilepsiâ*, horrendus affectus, non solum Medicorum adstantium, amicorum, consanguineorum, sed & ipsorum parentum Oculos, quod mirè corpora sua agitent eâ laborantes, graviter adeò afficit, ut ægrotantes, etiam liberos, deferere cogantur.

De origine miræ hujus miseræque afflictionis variè inter se digladiantur Medicorum varii, rationes pro se quisque adducit varias, ast hactenus haud occurrit, qui nobis satisfacere potuit.

Rejicimus meritò vanas eorum opiniones, qui horrendi hujus affectus curationem aggredi recusant, priusquam de Origine ejus, sede affectâ, periodo, & actionibus omnibus certò constite-

stiterit, cùm quæ de his omnibus adferuntur, incerta omninò sint, conjecturisque variis plena; rem ac se tetigisse sibi persuadent, viaque vera procedere, cùm tamen graviter errent, ab eâque longè recedant, est enim Medici sapientis quæ in epileptico observant admirari potius, quam investigare.


Egregiè adeoque *Cl. Tulpus* Epilepsiam sexies quotidie accedentem describens, variique recursus causam inquirens: *Quod inquit in mari est aestus ac recessus, id in morbis vocatur reciprocus circuitus, quem quo comprehendais minus, eo admiraris magis, latet quippè plerumque ipsius causa, & absconditi ordinis ratio defatigat etiam acutissima ingenia.*

Juvenis 16 aut 17 annorum, per intervalla miserè Epilepticis affligebatur motibus, adeò ut etiam parentes cubiculo in quo detinebatur, sæpius exire cogerentur, quod t̃normes, mirandas, imò horrendas corporis partium agitationes intueri diutius haud valerent. Præcipuum, quod adspicere arduum, linguæ erat motus indecens, hanc enim, quoties insultus Epileptici aderant, capitisque, ac artuum, nec non oculorum varix perficiebantur motiones, extra os exserere observabatur, adeò etiam ut vel pectori eam imponeret, effluente insuper insigni spumæ quantitate. Res hæc occasionem plurimis dedit spiritus mali operâ quæcunque ab ægro peragebantur perfici, judicandi.

Media hîc varia frustra usurpata, cujus conditio-

ditionis sanguis ex alterato homine extractus, pulvis cranii hominis violentâ morte extincti præparatus, aliaque arte chymica, parata, extracta, &c. etiamsi & pretio satis magno venirent, & virtutis excellentis in hoc casu habita fuerint.

Vocatus ego, ut setaceum applicarem ægrotanti, ast, non nisi in consilium adducto *Clar. Dn. Francisco van der Schagen*, Medico hujus loci eximio, ad operationem hanc devenire placuit. Consultatione habitâ, setacei loco fonticulum futuræ coronalis commendavimus, sic fore sperantes ut quicquid halituosi capite concludebatur, exitum inveniat. Modum hunc evacuandi humores su-




perfluos, excrementitios, variorum malorum variis in partibus corporis, causam, valdè extollunt *Marcellus Donatus lib. 2. Hist. mirab. cap. 4. Marcus Aurel. Severinus pyrot. Chirurg. lib. 2. part. 1. cap. 6. Lazarus Riverius cent. 2. obs. 93.* Videri etiam possunt quæ de singulari ejus usu habent *Aquapendens & Tulpus.*

Instrumentum cujus operâ cauterisatio ad commissuræ sagittalis coronalisque concursum instituebatur, locum designare necessarium fuit, secuti sumus hac in re doctrinam *Avicennæ.*

Primò de rasis capillis, filum sericeum duximus ab auris dextræ cavo ad cavum sinistræ per medium capitis, hinc aliud à radice nasi per medium ossis frontis & verticis ad nucham, ubi concursus erat filorum habebatur nobis (uti revera esse certi sumus) concursus suturæ sagittalis & coronariæ. *Aquapendens* altiore hinc eligit locum *Oper. Chirur. part. 1. cap. 1. Quod si enim*, inquit, *conkursus suturæ coronalis & sagittalis loco dicto non daretur, sagittalis sutura cerò adesset.*

Ad locum signatum cauterium benè ignitum forti manu applicavimus, sic ut os ipsum combureretur; parti cauterizatæ plumaceolum cum *Ung. Basilico* applicavimus cui superimposuimus ad refrigerationem *Emplastr. Diapalma* dissolut.

Proximo die, remotum plumaceolum invenimus ex humore quem receperat benè madidum, quod etiam sequentibus diebus notavimus us-



que ad sextum, quo & eschara separabatur, & morbus terminabatur, quem tamen, jam à primo tempore quo cauterisatio instituta, sublatum observaveramus.

Foramini quòd reliquerat Eschara separata singulis diebus imponebatur pisum, & hac methode, quo humoribus hìc congregatis exitus daretur, diu servabatur apertum, usque dum tandem carni succrescenti locum concedere coactum pisum, nec metus ullus recidivæ.

C A P. VI.


De Reseratione umbilici lethali.

Obstetricis in arte sua exercitatæ, fidæque est, vasa umbilicalia infantum, quorum ex-

D

Hosted by Google clusio-

clusionem promovet, ex debito & vinculo apto constringere, & instrumento commodo abscindere, sic ut nec laxa nimis arctiorvè angustia, nec longa nimis, brevioraque vasa, sed & nutriticum committere fideli, quæ curam ejus ex debito habeat, plurima enim eaque gravissima iis posse supervenire mala, ex eo quod nutritio educatiovè ritè haud instituantur, quæ signo nullo, præter vagitum, indicare solent, quotidiana experientia abundè testatur.



Laxior debito vasorum dictorum constrictio causa fuit in filiolo *Danielis Klisteri*, 8 annorum infante prolapsus intestinorum extra ventris cavum, spectaculo sanè horrendo; Reserato enim Umbi-

Umbilico intestina tenuia omnia extrorsum dimota, sic ut abdomini incumberent; res sanè curatiodis difficillimæ, si ullius. Augebatur malum quoties Enema carminativum injiceretur. Per viginti quatuor horas in hoc statu vixit, miserè admodum, infans hic, at tempore hoc elapso, relictus ab omnibus, interiit.

Vestri est quibus nutritio, educatiōe infan-
tum commissa, quocunque veniatis nomine,
omnibus modis prospicere, ne incommoda di-
c̃ta iis superveniant, quod vasorum umbilica-
lium à ligaturâ superest, ubi decidit, curandum
sedulo, ne unquam laxetur, quo ventre conten-
tis exitus omnis denegetur.

C A P. VII.

*De fungosâ excrescentia ad capitis postica,
post mortem ablata.*

INter Operationes Chirurgicas quatuor, haud
infimæ notæ quæ tollit in corpore humano
superflua; imò quæcunque in eo præter natu-
ram abundant, tollere haud semper utile. Va-
riis hoc probari posset exemplis siquidem pa-
tientiâ Lectoris abuti liceret, liberetvè.

Rei novitate ductus, cum Chirurgo alio, Ber-
nardo Heemss, accessi ædes Joannis Gerardi Kok,
in viâ latâ, filiola ipsius considerabilis magni-
tudinis carnem fungosam, jam à primis nativi-
tatis horis, in occipite gerebat.

Medicorum, Chirurgorumque qui adfuerant

variis exstirpatio arridebat, eò quod, quæ præter naturam in corpore humano supersunt auferri debere, doctrina sit vulgata; placuit aliis, accuratius omnia considerantibus (maximè qui digitis constitutionem fungi, hujusvè cum internis nexum pressius examinaverant) dissuadere operationem dictam, eò quod duram meningem cum portione aliqua substantiæ cerebrealis per futuram lambdoidæam extrorsum protusam, sibi persuaderent. Observasse nos circa fungi cervicem mollitiem singularem, & ossæ substantiæ aliquem defectum, verum equidem, ast duram meningem hîc cum parte quadam Cerebri loco fuisse motam, asserere haud ausi fuimus, maximè quod infantem jam duorum annorum, sensu omni gaudere observaremus, saltem stoliditatis nihil adesse notareemus.

Alia longe res fuit, quam *Hildano* proponit *Joannes Scretæ*, part. 6. obs. 17. *Observatam in infante, qui vocem nullam mittebat, forte propter nervos recurrentes à nimio pondere carnosæ molis occipiti adnatæ retractos. Vetulam rugosam faciem exprimebat, quod (Hildano sic judicante) nutrimentum fere totum ad molem hanc deferreretur, unde reliquum totum corpus, imo & facies ipsa, tabescebat & rugosa fiebat.*

At filiola nostra, corpulenta satis, indiesque semper, ad mortem usque, & mente & corpore aucta; tertia, quartavè ante obitum septimanâ extabescere incipiebat, simulque ratione aliqualiter destitui, cum virium notabili de-

structio.

structione ; ex eo, quod abscessus, pondere gravis, mole magnus, ob repetitum attactum calorisque interni suffocationem, spontè apertus, aquosi liquoris insignem copiam exhiberet.

Liquor hic nihil aliud quam urina pura, quod colligere licebat exindè, quod jam à 4 vel 5 diebus urinæ nihil emisisset infans.



Corruptio fungi hujus quo promoveri queat (ad extirpationem enim devenire, ab omnibus improbat,) ligaturæ beneficio nutrimenti accessum ei denegare, consultum visum. At vinculo cervici excreſcentiæ injecto, cœcitas in infante notabatur frequensque animi deliquium; eodem relaxato, spes omnis curationis vana. Aquæ per locum apertum effluxus continuus semper, usque dum calore nativo consumpto, exspiravit ægra.

Demortuo in subjecto quo extirparetur fungus (quod præsentibus *Dn. Joanne ab Hartogvelt*, Medico, senatore & scabino Reipubl. nostræ Amstelodamensis, *DD. Bernardo Heems*, *Abel Horst*, *Joanne Heems*, Chirurgis, peractum) sectio conveniens instituta. Eo ablato insignis aquæ pellucidæ quantitas per canalem A, illicò effluebat, deferabatur ex sinu duræ meningis B falciformi, qui eandem accipiebat ex Ventriculis Cerebri.

Cranio apertura inerat rotunda C C C. ejus amplitudinis cujus collum fungi fuerat, dura meninx parte superiore ubi cranio cohæret tensa valdè, divisæque; Ea forfice dissecta Cerebri cortex coloris albicantis, debitè situatus, observatus, nisi quod parte dextrâ tenuis meninx depressior.

Hiscæ sic perspectis, unanimi consensu conclusum, nulla arte fungum hunc tolli potuisse, quin potius, quovis modo ablatâ excreſcentiâ hâc, incremento ansam datam fuisse, eò quod ube-

rior

rior accessus lymphæ fuisset concessus, si modo tempore permisissent, nec mors citius supervenisset.

C A P. VIII.

De loquelâ gravi, curatâ.

Operatio est chirurgica & antiqua, & nota, balbutientium linguam ponderum appropriatorum ope deprimere, quò tardius loqui adsuescant.

Actio contraria nobis in nosocomio nostro obvenit. *Franciscus Wouters*, miles, antè sexennium globulum sclopetarium linguâ receperat, vulnere à nucha ad locum dictum penetrante, undè gravis ipsi adeò loquela, ut non nisi longo tempore sententiam aliquam proferre valeret.

Hujus (siquidem possibile) quo curatio institueretur, præmissâ *purgatione* commodâ, *vena sectioneque* institutâ largiore, sinistrâ manu, linteo munita (quo firmior certiorque apprehensio) linguam apprehendimus, mox eo loco ubi globulus hærebat, dextrâ scil. linguæ parte, eâque ad postica vergente sectionem instituimus, foramine factò, cystique, cui inclusus globulus, dissectâ, beneficio instrumenti incurvati, commodi, sensim globum extraximus.

Sanguinis ad fluxum cohibendum, vulnerisque ad mundificationem collutio hæc præscripta.

℞. Fol. Plantaginis.

Agrimonia.

Violar.

Acetose an. M. j.

Flor. Rosar. rubr. M. ℥.

Balaust. ℥ ij.

Nuc. Gallar. ℥ ℥.

Coquantur in Aq. bord.

Colat. ℥ v. adde

Mell. Ros. ℥ j.

Ol. Vitriol. g. iv. M.

—Collutione institutâ linctus hic usurpatus.

℞. Syr. de Sympb. Fernel. ℥ j.

Violar.

Mell. Rosar. an. ℥ ℥.

M. f. Linctus.

Et horum solo usu sex septemvè dierum spatio integrè æger hic curatus, debitaque gratiarum actione habitâ, discessit.

C A P. IX.

De Hemicraniâ continuâ, gravi, curatâ.

CApite dolore affecto, gravius tentatur æger, quam si vel ulla alia pars laboraret; imò vix occurrunt casus dolorifici, quibus melancholia gravior jungitur, quam qui sunt Capitis.

Con-

Consideratio hæc videtur occasionem dedisse vulgari illi loquendi modo, quo Caput humanum proræ navis comparatur, eò quod eo læso membra omnia etiam lædantur, destruanturvè. Sæpe

Intolerabilis valdè Capitis hic dolor, externus æque ac internus, adeò ut quævis non pati, quam molesto hoc symptomate affici, malint ægrotantes.

Guiljelmus Hildanus Cent.4. obs.7. mentionem facit doloris capitis admirandi gravissimique quo laboravit vidua quædam Zonima Huys, per annos undecim non tamen continuo, sed per intervalla, veluti ter quatervè in anno. Extra cranium eodem Hildano referente dolor hic erat, neque certum locum obsidebat, sed hinc & inde omnes partes istius lateris pervagebatur, & mox circa musculum temporalem, mox circa extremam partem auris, aut ipsam mandibulam inferiorem, vel ipsa malâ & inferiore parte oculi & labio superiori crudelitatem suam exercebat, nunquam autem, quod notandum, dimidiam partem faciei transgrediebatur dolor iste, & si labium inferius aut etiam superius, vel nasum occuparet, media tamen pars solummodo dolebat, altera vero doloris omnino expers erat.

Dolore simili, imprimis cæcitate ea, quæ gutta ferena practicis dicitur, laboravit eques quidam Sylvaducensis, vir triginta sex annorum, boni habitûs, animosus, nosocomium nostrum curationis gratia ingressus; contraxerat

utrumque hoc symptoma ante annum ex casu, qui ossis parietalis impressioni occasionem dederat.

Auxilium nostrum imploranti incurabilem pronuntiavimus cœcitatem, at tentari quædam posse, quo vel tollatur vel imminuatur Hemisphæria, asseruimus, misericordiâ moti.

Ad media ipsa, quæ hîc usurpari posse videbantur antequam deveniremus, necessarium omninò duximus, ægrotanti indicare, impossibilem doloris contumacis sublationem esse ex sententia nostrâ, nisi instituatur Cranii perforatio ad locum depressum, cum probabile valdè sit impressionem causam esse, propter quam meninx crassa, hinc quæcunque alia sensilis, eidem vicina, afficiatur.

Nec displicebat nobis (quod forsân displicebit iis qui *Chirurg. effic. part. 2. de angiolo. fol. 57. Marci Aurelii Severini* quæ habentur, haud perspexerunt) credere, sanguinis quantitatem aliquam extravasatam fuisse, quæ cum exhalare contendat, doloris dicti causa.

Imò cœcitatem inductam fuisse statuebamus per concussionem Cerebri ex casu, (ex equo enim in terram prolapsus erat) undè nervorum opticorum compressio & ex hac spirituum animalium in oculum influxus inhibitus, uti legere est in Epistolâ responsoriâ *Petri Blandini ad Fabr. Hildanum*, quæ habetur *part. 5. obs. 8.* ubi de filio rustici alicujus qui ex arbore in terram prociderat, agitur.

Hæc aliaque ex relatione nostrâ percipiens equus cœcus gratulabatur sibi quod mali causam cognosceret, dolebat interim, quod curationis difficultas indicata Addebat insuper, nunquam dolorem ullum se observasse, eo loco, ubi impressio Cranii notabatur, sed vagum valdè omnem fuisse, parte cranii superiore, posticavè, ad malas, ad aures, in musculo temporali, indeque in dentibus ipsis, ad sinistram capitis partem nullo unquam tempore se extendentem, undè cum Medicis Chirurgisvè omnibus, quorum consilio usus fuerat, in externis potius quam internis doloris hujus causam hærrere, credebat; rebus omnibus consideratis, consultationeque habitâ, *purgato* corpore, de rasis capillis, quæ eo tempore erat ad futuram coronalem vesicatorium ex cantharidibus applicari curavi. Vesicæ vix notabantur vestigia, quin doloris remissio considerabilis notaretur. At sex octove diebus elapsis non solum recrudescere notatus dolor, sed & ad tempora capitis se extendere, quod & agro & nobis ipsis valdè displicebat. Dolor insuper medium occupaverat capitis, sic ut verâ Hemicraniâ æger tentaretur.

Hic præstantius vix medium occurrebat ex præcepto *Pauli Aeginetæ*, quod habetur *lib. 6. cap. 3. & 4.* apertione arteriæ temporalis, quæ etiam præsentente *Dn. Guiljelmo Pisone*, Reipubl. hujus Practico experientissimo instituta, eo cum successu, ut cum sanguine effluente omnis etiam dolor abierit.

Die duodecimo à tempore eo quo Hemis-
crania reliquit ægrotantem ex arteriotomiâ di-
cta, Odontalgia gravis invasit. Quod ex voto
succefferit præcedens curatio à nobis instituta,
rogare haud intermisit, dentem, doloris hujus
subjectum, illico extraherem, ocularis hic erat,
maxillæ superioris, benè quoad externa consti-
tutus, similiter ac omnes alii. Desiderio ipsius
satisfaceremus, removendo dentem prædictum,
inter alia suadebat exemplum *Fabr. Hildani*, quo
part. 2. obs. 10. Hemiscraniam extractione den-
tium curatam narrat, & hæc quoque curandi;
methodus satis benè successit, quamprimum
enim dens dictus ablati, dolor plurimum re-
misit, imò in totum sublatus.

Die 10. ab eo quo Odontalgia ægrum reli-
quit, dolor alius loca post aurem occupavit,
gravis hic admodum, die nocteque sine ulla vel
intermissione, vel remissione affligens, indies
increscens, adeò ut non solum extabescere vi-
sus æger, sed & vehementia doloris motus,
sublationem desperans, illicita proferre.

Hic quid agendum hærebamus, ex consilio
Fab. Hildani l. cit. eo loco, qui post aurem do-
loris subjectum, fonticulum fecimus similem
ei quem in nucha alias fieri ordinarium, & fe-
taceum appellare solemus; exhibebat hic puris
magnam copiam eo cum levamine, ut integrè
à dolore omni liberatus fuerit eques, periculose
graviterque jam à longo tempore diro prædi-
cto symptomate vexatus.

Quis

Quis non summâ animi cum tristitiâ, consternatione, admirationeque hîc percipiet, ægrum nostrum recidivam pristini doloris post mensis spatium iterum fuisse passum. Intolerabilis hic omninò fuit, pungendo, lancinando Cranii interiora graviter afficiens, adeò ut etiam pleno ore exclamare coëgerit ægrotantem, optabilius morte nihil sibi supervenire posse, facile se condonaturum ei qui pugione cor perforaret.

Dolor hic longè magis nos consternatos reddebat, quam ullus præcedentium, hoc animadvertens æger virili animo his verbis alloquebatur: Magister, Deo constat Tibique, quam necessarius homini visus, & qualem thesaurum amisit qui eo privatus, ô noctem æternam ubi continuæ sunt tenebræ! Deus idem novit æquo animo me laturum siquidem eo destituerer, modò dolore præsentē intolerabili liberarer. Ades dum, pectora, quod proficuum judicasti, cranium, spero Deo annuente, imò suadente, ab immensa Cephalœa me liberatum iri.

Desperato animo hæc ab ægrotante proponi nobis cum sentiebant adstantes, sic fore sperante, ut hac operatione periculosa intercedente mors acceleraretur; at discursu ipsius postea proposito ex debito considerato in consilium adduximus Viros Celeberrimos *Dn. Nicolaum Tulpium, Franciscum Sylvium, & Guiljelmum Pisonem*, expositisque omnibus iis quæ & à nobis ipsis & à *Pisone* in gratiam & commodum ægro-

ægotantis hætenus fuerant peracta, Trepano perforationem Cranii fieri consultum visum, & quidem eo loco qui impressioni vicinus, quo sic & exitus concederetur materiæ, si quæ hîc hæreret, hætenus abscondita, & per foramen Trepano factum impressa cranii pars elevaretur.

Mora hîc fuit nulla, Perforatio peracta, factus successus miraculosus, quamprimum enim elevatorio os trepano separatum ablatum fuit, & dura meninx nobis occurrit alba, sana pulsans, & sanguinis nigricantis aliqua quantitas. Accedebat ægotantis hæc oratio: Viri boni Hispanos plurimos perforavi, breviori tempore, at Deo sit laus quod dolor omnis sublatus, evacuationem enim percipio illius quod me tamdiu vexavit. Veritatem dictorum curatio insequens probavit. Sanus, & animo, & corpore, Deo immortali summas gratias agens, cæcus licet, discessit. Testem actorum habemus virum nominatum *Cl. Pisonem*, præter Chirurgos qui manum auxiliarem præbuerunt, adstantesque varios. Cum hæc scriberemus anni jam duo transierant, nec tamen ulla recidiva se manifestavit.

C A P.

C A P. X.

*De Instrumento ad hypopii curationem commo-
dè nobis invento.*

Oculus animæ instrumentum summè neces-
sarium, cujus ope ea quæ sunt invisibilis
Dei cognoscimus, bona prosequimur, noxia fu-
gimus, variis tentatur morbis, eò quod teneræ
admodum constitutionis sit, imò pluribus quam
ulla alia corporis totius pars. *Jacobus Guilmeau*
tract. de Oculis centum & tredecim enumerat.

Parvus in gratiam tyronum, quò præter na-
turam oculis occurrentia vitia discernere dis-
cant *lib. 17. cap. 4.* nonaginta præter propter re-
censet, & horum author *Capellus Medicus*.

In praxi nostrâ etiam illi occurrerunt, quo-
rum apud recensitos scriptores nulla mentio, sic
ut sine omni dubio plures Oculorum reperian-
tur morbi, quam hætenus descripserunt Au-
thores.

Animus haud est omnia ea quæ præter natu-
ram oculo obvenire possunt hîc loci proponere,
multò minus quæ cuivis competant remedia,
singulari tractatu hoc efficere constituimus, si-
quidem quæ hoc opusculo exhibemus accepta
artis nostræ cultoribus reperiamus.

Solo de *Hypopio* hoc tempore agere constitui-
mus. Oculi purulentiâ. Collectio hæc est puris
in interno oculi, mobilis tamen, ad pupillam,
tanta sæpe, ut integram eam occupet.

Causæ hujus morbi duplices, Externæ scil. & Internæ. *Externæ* huc faciunt Casus, saltus, ictus, vociferatio, imò exercitia atque labores excedentes, undè vasorum subtilium in processu ciliari, cristallini humoris fundamento, aut etiam tunicâ oculi uveâ, ruptura, quam sequitur sanguinis extravasatio, qui facilè hinc in pus mutatur.

Interna causa potest esse Capitis dolor gravis, membranarumque internarum inflammatio, undè humorum in oculi interiora per arterias propulsio, quo pars affecta iis liberetur.

Varia in hoc affectu in usum duci solent, & possunt, evacuationes imprimis spectantia, venæsectiones, scarificationes cum cucurbitulis, purgationes, Topica exsiccantia, resolventia formâ foris adhibita.

Mediis dictis quod si nihil efficiamus, necessarium omninò ad operationem Chirurgicam devenire, quæ primo tempore instituenda, ne alias materia purulenta oculo contenta tunicam Corneam variis expelliculis, quatuor ad minimum, compositam perforet vi suâ corrosivâ, imò tunicas reliquas tenerioris quæ sunt conditionis, uveam scilicet, ciliaresque dictos processus, exedendo consumat, undè in oculo omnium confusio expectanda, imò ipsius visus, sensuum externorum nobilissimi, ablatio.

Tempore *Galen*i referente *Paulo Aegineta* l. 5. cap. 20. Oculista quidam fuit, Justus vocatus, cujus etiam meminit *parte 1. operat. Chirurg.*

Fabr.

Fabr. ab Aquapendente, qui ægrotantem, hypopio laborantem, imponebat sedili, hinc utraque manu caput patientis apprehendebat, idque tamdiu agitabat, usque dum purulenta collectio separabatur, fundumque petebat, hoc ex voto succedente, oculo ipsi medicamenta applicabat resolventia. Non semel simili via procedere nobis placuit, ast nihil unquam efficere licuit, adeò ut operationis hunc modum postea iterum tentare neutiquam libuerit. Consultum ea propter magis visum, *Galen*i methodo quam *lib. meth. med. cap. ult.* proponit, procedere. Perforat hic instrumento accommodato tunicam Oculi carneam proximè ad tunicarum eum concursum, qui *Corona & iris* appellari consuevit, sicque materiam purulentam per foramen factum effluere permittit. Hac methodo, sexies, imò octies, bono cum successu, malum dictum curavimus.

Operatio hæc & facilis est, & periculo omni caret; Instituit eam, referente *Jacobo Guilmeau*, dexteritate singulari, ætatis anno septuagesimo secundo, Chirurgorum regionum Galliæ primus *Ambrosius Paracelsus*. Imò ipse *Guilmeau* in duobus subjectis feliciter hâc via processit. Legi hîc possunt quæ habentur apud *Paracelsum lib. 17. cap. 17. & Guilmeau part. 4. Tract. de Ocul. cap. 12.*

Ultimus eorum in quibus Operationem hanc instituere nobis concessum faber fuit lignarius ex ordine eorum qui navibus ædifican-

disinerviunt, Penultima curationi nostræ sub-
jecta Uxor erat *Justi Bulzing*, Mercatoris hu-
jusloci, in qua ad hunc modum, præsentibus
Dno Theodoro Wynants, Medico ordinario, &
D. Petro Siveers, Chirurgo, processimus; Sel-
læ imponebamus ægram, sic ut luci clariori esset
obversa, hinc, Oculum sanum tegebamus lin-
teo complicato, mox, Caput ejus manu utraque
prehensum, & manibus & pectore servi nostri
sustineretur, effecimus. Hisce sic prægressis,
manu dextrâ apprehensum instrumentum, lit-
terâ E hic signatum, ad usum dictum accom-
modatum, oculi parti superiori applicavimus,
loco qui proximus Tunicarum conjuncti-
oni; mox, sinistræ manus ope dilatatis palpebris,
quo certior foret operatio, intrepido animo cor-
neam perforavimus, & illicò materia purulen-
ta exitum invenit.

Perforatione peractâ *Emplastrum defensivum*
Vigonis parti vulneratæ imposuimus, imo etiam,
ope lintei quadruplicati, fomentum sequens:

℞. *Aq. Plantag.* ℥ iiij.

Fœnic. ℥ ij.


Sief Alb. Rhas. ℥ ij.

Sem. Cydon. Psilly an. ℥ ij.

F. Epithema, calidè applicandum.

Epithemate, Emplastroque ad dies duos tres-
vè usurpatis, quorum ope & dolor, & inflam-
matio remiserunt Mundificantia media appli-
cavimus v. g.

℞. *Aq.*



Explicatio Figurarum Tabulae appositae.

- A Cannula clausa. B Operculum ejus. C Cannula aperta.
 D Lanceola acuta, posterius globosa. E Manubrium cui aptatur lanceola. G G Globulus est, impediens quo minus profundius justo lanceola penetret, quod sine tæstione humoris cristallini fieri nequit.

℞. *Aq. Plantag.*
Eufras. an. ʒ iiij.
Syr. Absinth. ʒ ʒ.
Aloës, Myrrh. an. ʒ j.
M. f. Collyrium.

Penicilli ope quater quinquivè hoc oculo calidè illinire placuit singulis diebus, & quidem per dies quinque aut sex; coacti enim ea quæ cicatricem inducere, oculumque roborare, valerent, assumere, hujus conditionis mixtura hæc:

℞. *Aq. Plantag. ʒ iiij.*
Tutia præp. ʒ j.
Lap. Calam. pp. ʒ j.
Vitriol. Alb. gr. ij.
Sach. Candi ʒ ij.
M. f. Collyrium.

Et horum usu affectus dictus perfectè sine ulla visus imminutione curatus est.

Sequenti medicamento uti soliti sumus, quoties materia purulenta in oculo se primum manifestare incepit. Descriptio ejus habetur in *subsid. Med. Durante Schachi cap. 20.* qui eam ex *Mesue* desumpsit.

℞. *Cerussæ ʒ j.*
Opii, Sarcocollæ lacte nutritæ an. ʒ iiij.
Ammoniæ.
Croci, Thuris an. ʒ j.
Tragacanth.

Gumma.

Gumm. Arab. an. ʒ ʒ.

F. ſief cum aqua pluviâli, aut cum mucilagine ſœnugræci.

C A P. XI.

*De Polypo Narium Epiftola Nicolai Zas,
Medici Rotterodamensis*

Ad Jobum à Meek'ren.

Experientiffime Vir.

Cura noſtra, nec non Chirurgi cujuſdam Civitatis noſtræ hand poſtremi commiſſa eſt Puella 13 annorum, temperamenti frigidiore, polypo narium laborans, varia jam ab aliquo tempore adhibita medicamenta, interna æque ac externa, aſt nihil hætenus effecerunt. Res non naturales, quas exacte obſervari in omnibus morbis exigit Hippocrates lib. 3. de morb. vulg. & lib. 2. curioſe etiam ab ægrâ noſtrâ obſervata, fluxiones à capite ad hanc partem descendentes ex præcepto Galeni ſiſtere allaboravi, promiſſâ univerſali corporis evacuatione. Decoctum radicis china jam à longo tempore ſine fructu uſurpatum. Inſtituta etiam ex doctrinâ Celfi lib. 6. cap. 8. Capitis frictiones; Cucuphæ capiti applicata ex herbis, floribus &c. cephalicis exſiccantibus parata, nec fonticulum negleximus.

Topica a Chirurgo adhibita varia itidem fuerunt; pulvis ſabinæ Paræo lib. 5. cap. 19. in hoc caſu uſualis, inſperſus, aut etiam, pro unguento illiniendo, unguento ægyptiaco mixtus; Trochiſci

itidem vigonis. At nihil omnium profuit.

Dolore accedente, ex usu forsan medicamentorum acrium, mali moris affectum futurum metuebamus, maximè cum carnosior, sanguinolentusvè magis polypus hic notaretur, coacti adeoque Medicamentum adsumere illud quod Ambr. Paræus lib. 8. cap. 2. in curatione Polypi commendat, dolores imminuere, haud tamen Polypum ipsum, tollere valens.

Enarratis omnibus frustra hætenus adhibitis nihil superesse, & parentibus, & ægrotanti ipsi, indicavimus, præter extractionem Chirurgicam, at admittere eam detrectabant omnes.

Hæremus adeoque, nec quid agendum constat, Tu si quid habes Vir Clar. imperti; quo tandem misera ægotans molesto hoc malo liberari queat. Quod si non nisi manualementem extractionem hic locum habere nobiscum sentias, Epistolio quodam notifices rogo, quo & parentes, & ægotans, quam necessaria sit hæc operatio, informantur. Vale.

Tuus

N. ZAS,

Responsio Jobi à Meek'ren ad literas Nic. Zas,
Medici Roterod. de Polypi narium
verâ curatione.

Domine.

Quod polypum auferendi methodum ex me cognoscere desideres, valdè afficit, non video que proponere queam tibi ignota, viriliter adeo, passi-

passibusque certis hîc procedit, ut quis equiparari multo magis anteponi, possit, non videam; Gratias refero maximas, quod eo me honore dignum aestimes, cui, publicum in commodum, quæstio de verâ polypos curandi viâ proponatur; Bestia illa (eo enim nomine Polypus venit, & quidem meritò) quomodo vel per media Topica in nasu cavo consummentia, vel per instrumenta ipsa auferri queat, paucis docere aggrediar.

Notum nobis Polypum hunc esse, Galeno de comp. medic. cap. 3. Paulo Æginetæ lib. 3. cap. 24. Aëtio lib. 6. cap. 90. Cornelio Celso lib. 6. cap. 8. imprimis Fabr. ab Aquapendente part. 1. Oper. Chir. cap. 24. debemus.


Locus non ipsi solum nasus, sed & palati pars superior, & cum eâ fauces ipsæ, quæ loca adeo sæpe carneâ hâc excrescentiâ angustari possunt, ut suffocari ferè videatur ager.

Quomodo tractaveris Polypum, quo correpta ægra tua, quæque adhibueris medicamenta, accurato satis stylo proponis. Ut verum fatear, atque ex animo Tecum agam, Medicum hîc te præstitisti talem, qualis desiderabatur, nec aliquid omisisse Te testari passum eorum quæ ad auferendum malum requirebantur; haud equidem in medicinâ satis me expertum agnosco, profiteorque, qui Chirurgia deditus, diuturno nihilominus exercitio etiam ea, quæ medica magis considerationis habentur, imò revera sunt, Chirurgis innotescere, quotidie experimur.

Localia quod spectat media, affectum ipsum

quibus tollere allaborasti; non solum ut haud re-
jicienda ea habemus, sed & quae iis anteponi queant
nulla nobis nota, testamur.

At, Vir humanissime, concedas precor, quod,
cum agra tua filiola sit tredecim annorum, cur
Vena pedis sinistri saphena non fuerit secta, ad
mensum promotionem, querere audeam. Carnea



eternum

etenim substantiæ eum dicis, imò indies sanguineam magis conditionem assumere, carnosioremq; fore, at hæc unde deduci poterunt, si non ex sanguine.

Ad extirpationem manualementem admittere Chirurgum quod recusant parentes, nolit egrotans, doleo, cum præstantius medium hætenus nullum innotuerit, citò, imò, etiam certò hac via procedimus; Testantur hæc in arte Chirurgicâ viri celebres, Fabr. imprimis ab Aquapendente loco supra allegato. Nobis eadem non semel ex voto successit, inter alios in Ancilla Medici hujus loci Simonis Dilmans, Metje Steyens, cui, auxiliante Henrico à Roonhuysen, Chirurgus magni nominis, polypum extraximus incredibilis magnitudinis, & crassitiei; Figuram hic addimus.

Attamen, Vir Celeberrime, quod si recusare perseverent parentes extractionem manualementem, non inconsultum videretur (pace tua dixerim) pluma-colum hoc, medicamentum insigne, à Joanne Vigone lib. 2. cap. 5. descriptum, salivâ aut aqua plantaginis madefactum, naribus imponere, ad eam altitudinem, ut attingat polypum, idque bis singulis iterare diebus. Descriptio hæc est:

℞. Filor. carptor. panni linei veteris $\bar{z}$ ij.

Medull. panis alb. $\bar{z}$ iij.

Sublimat. triturat. $\bar{z}$ j.

Aq. Rosar. Plantag. an. lb j.

Coquantur in vase stannco ad secundæ partis consumptionem, dein fortiter exprimantur, & filum carptum siccetur in furno.

Medicamento huic, quod cautè admodum usurpari debet, eò quod sublimatum recipiat, de quo contrerraneus tuus, Medicus olim celeberrimus Joannes Beverovicus, libro cui titulus Thesaurus sanitatis, Schat der Gefontheyt, cap. octavo, addimus aliud, cujus vires egregias non semel experti. Valdè hoc commendat Alexander Tralianus, referente Durante Scacho subsid. Med. conf. de Polypo cap. i. Caput hoc est mortuum Vitrioli, sequenti modo usurpandum.

℞. Cap. mort. Vitriol. ʒ j.

Subtil. pulv. misceatur cum Unguenti Egyptiaci portione liquidiore.

Unguentum hoc vis tervē quovis die applicetur plumaceolo exceptum polypo, penicelli operà; Bene hoc successit in Consule hujus loci, brevi tempore. At quum usu immoderato hujus unguenti ardor nimis dolorque excitaretur, coacti fuimus ad utriusque mitigationem, Unguentum sequens, à prædicto Scacho præscriptum cap. allegato, adhibere, quod bene successit.

℞. Spuma Argent. ʒ ij.

Ceruss. ʒ ij.

Alum. scissil. ʒ ij.

Tund. & cribrantur, hinc in mortario plumbeo, cum vino odorato ad mellis consistentiam reducetur, huic addatur Olei myrtini q. s. conquassatumque in pyxide plumbeâ servetur.

Crede

*Crede mihi, Vir Doctissime, medicamentis
hujus vires esse summas, imo notum mihi hactenus
nihil esse quod ei anteponi queat.*

*Quod si vero nec hoc medio tolli polypus queat,
necessarium omnino ducimus parentes egrotantis,
ipsamque agram eo deducere, ut concedant Extra-
ctionem manualement, quam commodissime fieri pos-
se, expertus indico, instrumento s. forcipe, cujus
descriptionem Fabr. ab Aquapendens exhibet
allegato capite, quod magis commodum Canterio,
quod commendat Cornelius Celsus lib. 7. cap. 10.
ne nimium increseat, quale incrementum enorme
notavimus in virgine religiosâ Grietje Kroonen-
burg, quæ, quod in principio eradicationem omnem
quo vis modo instituendam recusaret, monstro ma-
gis ac homini similem faciem tandem exhibuit,
effigiem addimus: Finem imponimus discursui
nostro minus erudito, ne tempora tua aliis severio-
ribus dicata moremur.*

*Successum optamus eum, quem non semel ex-
perti. Benedicat is qui dator omnis boni. Vale Vir
Magne, dinque vivas in commodum egrotantium,
honorem artis nostræ, & urbis vestræ gloriam.*

Tuus

JOB à MEEKREN.

*Scias, benevole Lector, cancrosum hunc Po-
lypum, cujus in Epistolâ prædictâ mentionem
feci, ad eam magnitudinem excrevisse, ut de-
formem reddiderit faciem ad eum modum qui
in addita figura exhibetur.*

CAP.



C A P. XII.

*De Polypo cartilagineo, à parte posticâ nuda
ex faucibus ablato.*

Polypus non solum nares, sed & fauces replet, Authore *Fabr. ab Aquapendente part. 8. cap. 2.* Undè gravis adèò respirandi difficultas ut sæpius suffocari videatur æger.

Pediflequus *Dn. Six*, ex ictu graviore, respirandi contraxit difficultatem, adèò ut spiritum ducere grave ipsi valdè, imò successu temporis incrementum tale sumpsit malum,

ut

ut ne quidem cibum deglutire, nisi cum molestia tummâ, valeret.

Variorum Medicorum, Chirurgorumvè auxilia hîc frustra imploraverat æger; quibusdam incurabile malum habitum, adeoque, medicamenta nulla in usum ducenda, statuerunt, alii eo usque artis medicæ præcepta extenderunt, ut lue venerâ ægrum laborare asserere ausi fuerint, eò quod obicure admodum loqueretur.

Tandem innotuit quibusdam ex hæmorrhagiis gravioribus, fluxuque humoris tenuioris acriorisvè per nares, eoque continuo, in naribus ipsis certo hæere malum. Ad hoc medicamenta varia adhibita, at sine successu.

Amore servi incitatus *Dn. Six* nullius non operam implorare pergebat, modò curationis aliqua spes, tandem etiam nostram, collegæque nostri *Dn. Floriani*.

Ægrum quam primum visitare nobis concessum, non solum nares polypo repletas observare licuit, sed & fauces angustatas à massâ carneâ, gravi, durâ, cartilagineâ, circa uvulam deorsum ad œsophagum se extendente, musculis œsophagæis incumbente; Hîc cura nulla nisi quæ per eradicationem manualement, primò adeoque forcipe id quod fauces palatique posteriora occupabat, tollendum esse monuimus.

Operationem hanc admittente servo æque ac Domino, potio præparans & simul laxans, ad aliquot dies præscripta. Hujus usu præmisso, ad ipsam extractionem devenire placuit, quæ præ-

præsente *Domino six & Florianò* Chirurgo, à nobis ad hunc modum peracta.

Primò omnium, nihil eorum hîc deesset, quæ ad extractionem non magis quam sanguinis fluxus inhibitionem, requirebantur, curam gessimus.

Pulverem stypticum parari curavimus in hunc modum præscriptum, ab acrioribus enim abstinemus asperæ arteriæ structura atque situs fecit.

℞. *Lapid. Hematit.* ʒ ℥.
Bol. Armen. veri.
Terræ Lemn. an. ʒ ij.
Nuc. Gall. immat. ʒ ij.
F. Pulvis subtilissimus.

Hoc quo convenienti modo uti liceret, turundas confecimus operi aptas & plumaceolis, & spongiæ exsiccatae particulis, longas equidem, crassasque, attamen molles; has filo fortiore constrinximus, quò, siquidem ad fauces prolaberentur, ejus beneficio extrahi possent; hinc mixturæ ex *albumine ovorum & succo limonum* paratæ imposuimus, quo pulvis præscriptus stypticus melius iis adhærere, sicque commodius applicari posset.

Ipsam operationem aggredi ubi constitutum, ægri, fellæ altiori insidentis, animosi admodum, faciem, faucesque luci obversas posuimus, quo certius & oculis polypum cernere, & instrumentis tractare, nobis liceret.

Mox polypum ipsum, ovi gallinacei magnitudinem habentem, planioris licet figuræ, forcipe recurva apprehensum, forti manu, variè agitando, separare à partibus quibus adnatus, extrahereque, allaboravimus, at verò nihil omnino effecimus, inseparabilis relinquebatur polypus, fracturam patiebatur forceps, magni alias roboris; æger, qui omnia patienti animo perferibat, oris nariumque ossa violentiâ Chirurgicâ diffracta sibi esse credebat, sanguinis accedebat fluxus enormis, qui tamen ex seipso sine ullo medicamentorum adstringentium ulu sedatus; Pergebamus interim in opere nostro, quinquis, sexiesvè extractionem modo dicto tentando, at irritus omnis labor.

Tandem, quod polypus extractionem omnem respueret, licet deorsum magis descendere, forcipe eum auferre aggressi sumus, quod ad eam altitudinem, fecimus, quam attingere licuit, consideratione habitâ uvulæ, ne læderetur.

Exstirpato polypo hæmorrhagia nulla observabatur, quæ in principio considerabilis satis fuerat, eò quod hîc vascula sanguifera nutrimentum excrefcentiæ adferentia, læsa sint, ibi eadem ob cartilaginofam polypi constitutionem desiderentur.

Faucium, Uvulæ, palativè ad alterationem *Gargarismata* convenientia, *Ecclegmata* que, præscripta, quæ die nocteque usurpare haud detrectavit æger. *Vigiliæ* hîc continuæ, doloresque

capitis vehementes *Amygdalata* exigebant quæ tamen parum aut nihil efficiebant, antequam *Laud. Opiati* aliquid misceretur *Diascordio* & *Aq. Alexipharmacæ*, cochlearibus per vices usurpandum.

Ad virium deperditarum restitutionem necessarium omninò fuit *alimenta* benè nutrientia usurpare, quæ etiam largiter adsumpsit juvenis.

Die octavo sanguinis per os & nares immodicus superveniebat fluxus, ex eo quod vasorum laceratorum extrema cruore repleta jam itenim aperientur, quæ tamen simili cruore denuo repleta fuerunt sic ut fluxus dictus cessaret.

Indies hinc æger vires sumpsit, sic ut quatuor septimanarum spatio integrè fuerit curatus, robustior quam antehac unquam fuerat.

C A P. XIII.

De nodo inferioris labii exciso.

Ictu, casu, aut percussione, imò etiam ubi dentibus apprehendimus labium, nodus in eo producitur, quem ex doctrina *Albucaſis*, quæ habetur 2 *parte Chirurg. part. 27.* cultro primò excindere, hinc alumine uſto conſpergere tenetur Chirurgus.

Nodum hunc quidam *Oleo Vitrioli*, alii *Cauterio actuali* tollere tentarunt. Nobis arripit modus mox declarandus, non-nisi ubi canceri naturam induere incipit, locum inveniens. Inter varios in quibus extirpatio ejus à nobis instituta,

tuta, etiam nominari Reverendus Doctissimusque Vir, *Dn. Jacobus Heyblok*, amicus singularis, qui fabæ magnitudinis nodum jam ab aliquot annis, cum molestiâ summâ, venarumque tensione, in labio inferiore gestaverat.

Labium ipsum ope pollicis & indicis sinistræ manus incurvabamus, hinc cultro acuto crucialem apertionem instituebamus usque ad nodum, ita tamen ne læderetur ipse; separatis hinc integumentis volsello nodum sensim extraximus, eo educto cavitationem replevimus linteo combusto ad hæmorrhagiam, firmiter eapropter linteum hoc digitis compressimus, partim quo in totum sanguinis fluxio inhiberetur, partim quo quod in vulnere residuum, auferendum, tolleretur.

Styptico hoc ablato, ad mundificationem vulneris nil nisi *Mel Rosarum cum Spir. vini*, hinc ad consolidationem ipsam *tutiam* pulveris applicavimus.

Nodos præter dictos observare itidem licuit nobis *Vesiculas* pituitosas, in labiis existentes, quas canceris annumerarunt varii, quo in arte Chirurgica plurimum experti habeantur Chirurghi.

Nihil aliud vesiculæ hæ sunt, quam lymphæ extra vasa, lymphatica dicta, prolapsæ, eò quod per compressionem labii ex mutuo dentium contactu, lacerata. Sæpius eas forfice aperuimus, applicatoque *Melle Ros. cum aq. vitæ* curavimus.

Non rarò observare nobis datum vesiculis his dissectis, exsiccatisque, duritiem aliquam relictam esse, quæ & dolorifica, & molesta. Hanc sequenti modo tollere soliti sumus, ut testatur, inter alia, exemplum viri Reverendi *Dn. Christiani Hartsoeker, Theologi apud Alcmarienses in Ecclesia Remonstrantium*, in quo præfenti Viro magno *D. Egberto Veen*, Medico nostri loci curatio hæc peracta. Acum falcatam filo fortiore instructam cruciatim per labium affectum trajecimus, sic ut fila inter partem sanam & induratum continerentur, hinc sinistrâ manu filum utrumque, quatuor extremis gaudens, ita extendimus, ut, cultri acutioris ope, ictu uno alterove, duram partem ab eâ quæ sana separaverit dextra. Vulneri imposuimus, ut supra, linteum combustum *Spiritu Vitrioli* madefactum, hinc *Mel Rosar. cum aq. vitæ.*

C A P. XIV.

De Polypo ligneo, quinque aut sex dierum spatio curato.

Filiolus *Dni Francisci Reaal, Reineri filii*, ætatis anno tertio per aliquot dies stillicidio narium sanguineo, foetido, laboraverat, dextram partem nasi occupabat malum, rei gravitatem perpendentes cum matre consanguinei, me advocarunt, polypus narium esset, nec ne cognoscere desiderantes, imò auxilia medica exigentes.

In affectum inquirentes non solum humore
san-

sanguineo, purulento, eoque fœtidissimo nares scaterereprehendimus, sed & carneâ subrubicundâ excreſcentiâ ſuperius repletas.

Hæc obſervans quis non naſi hanc partem anguſtatam diceret Polypo vero, ex fluxu purulenti humoris cauſato?

Evacuato corpore, quod ſequenti factum medicamento,

℞. *Syr. Diacnic.* ʒ ʒ.
Reſin. Jalap. Pulv. gr. iij.
M. & detur uſu.

Topico hoc Polypum conſumere ſtuduimus.

℞. *Mell. Roſar.* ʒ j ʒ.
Liquoris Ægyptiaci ʒ j.
Cap. mort. Vitriol. calcin. & dulciſicati ʒ ʒ. *M.*

Mixtura hæc bis terve de die penicilli ope applicabatur excreſcentiæ dictæ; paucorum dierum ſpatio non ſolum polypus imminutus, ſed etiam fruſtum ligni in medio ejus obſervatum; hoc ope inſtrumenti commodi extracto, brevi ſanatio abſoluta.

Obſervatio hæc attendere nos docet ad ſupurationes eas quæ in aure aut naſo puerorum occurrunt, ſæpius enim externum aliquod partibus iis imponitur ut bene notat *Paræus lib. 17. cap. 23.* unde mala varia.

C A P. X V.

De Fungo oris, cultro ablato.

Jacobus Simonides, vir staturæ procerioris, aliàs benè sanus, ex ictu graviore maxillæ inferioris, contraxit fracturam, cum dentium aliquot ablatione; sequuta ejusdem maxillæ corruptio, vitio vel salivæ continuò humectantis, vel medicamentorum indebitè applicatorum, hinc fungosæ carnis excrefcentia, considerabilis adeò, ut vel pugni magnitudini accederet, undè non solum cibi, potusvè assumptio, sed & loquela ipsa lædebat, imò deformem admodum reddebat faciem.

Curæ nostræ, Collegæque *D. Floriani* se committeret, consultum visum. Nos fungi hujus non aliam existere *causam* videntes, quam ossis corruptionem, ad quam non nisi fungo ablato devenire licebat, primam curam habendam esse ægrotanti indicavimus, ut auferatur fungus, quo sic eo ablato os corruptum attingere concedatur.

Ad *Exstirpationem* antequam deveniebamus, cultrum fortem, acutum, linteo apto ex debito, ne fieret partium vicinarum læsio, munitum, per substantiæ fungosæ latus in interiora ejus usque ad os ipsum corruptum adegimus; Sanguinis nihil, quod mirabamur, effluebat. Hoc itaque viso eradicationem ipsam aggredi necessarium duximus, quæ etiam celeri manu,

uno q. ictu, peracta. Separata caro ejus magnitudinis notabatur, ut oris hiatus exclusionem ei denegaret, coacti adeoque fungum hunc in partes varias dividere, quo sic commodius extrahi queat.

Extracto sic per partes fungo os corruptum invenimus, præscribere adeoque necessarium *Gargarisma*, ex iis quæ ulceris, cariosi que ossis *mundificationem* promovere queant confectum, quale nobis fuit hoc:

Rx. Fol. Rosar. Rubr. M j.
Cichor. Ruthæ an. M ℥.
Salvia P. ℥.
Radic. Vincetox.
Iridis nostrat.
Angel. an. 3 j.
Mastiches 3 ij.
Coquantur in Aq. bord. q. s.
In Colatur. ℥ j. ℥. dissolv.
Mell. Rosar. 3 ij.
Spir. Vitriol. gutt. xv.
M. F. Gargarisma.

Collusione præmissa *Mixtura* sequentis plumaceolis aliquid excepimus, quod loco læso, corrupto, excavato ad separationem necessariam applicavimus.

Rx. Mell. Rosar. 3 ij.
Pulv. Rad. Iridis.
F 3

An-

*Angelica an. 3 j.**Mastich. 3 ℥.**Spir. Vitriol. gr. xv.**F. Mixtura.*

Secundo ab operatione peracta die *Fragmen-
ta* duo insignia satis ossis corrupti se exhibue-
runt, quæ extrahere necessarium ; loco osse de-
stituto apposuimus mixturam dictam, præmis-
sâ semper oris collutione.

Toto curationis tempore alvus benè officio
suo fungeretur curavimus, ne humores superflui
ad locum affectum nimîâ copiâ deferrentur.
Brevi integrè convaluit.

C A P. XVI.

*De Paralyseos instantisque mortis signis
antecedentibus.*

CErebroy licet locus concessus corporis par-
te superiore, imperium tamen est etiam in
quam remotissima, ipsa digitorum extrema.

Renatus des Cartes, toto orbe celebris, *Tra-
tatu de Homine*, ubi extrema artuum ignis vio-
lentiam percipiunt, nullo omninò dolore affici
docet, sed per communicationem, nervorum-
que distributionem doloris hujus sedem Cere-
brum esse. Quæ hâc de repro & contra propo-
ni possunt, nostrum non facimus hîc exhibere,
Philosophis eam examinandum relinquimus.
Placet interim sententiam *Carthesii* dubiam red-
dere

dere observatione sequenti, adeoque ostendere Cerebrum nullum dolorem accipere, sed quoties dolore tentatur id communicari illicò partibus remotis.

Albertus Tittzing, vir hilaris ingenii, animique placidioris quo tempora sua discursu quodam cum similis naturæ hominibus transigeret, solitus erat in templo novo obambulare, hæc dum aliquo tempore instituebatur ambulatio, nil tale cogitans subito vulneratur in vertice instrumento acutissimo sutoribus usuali ab homine delirante, inordinata illicitaque varia eo loco tractante; Vulneratus domum, hinc, post varias oscitationes, pandiculationesque, lectum petebat.

Altero die, summo mane benè alias se habens advocari curavit Chirurgum vicinum, de Capitis aliquali dolore sollicitus; in vulnere nihil quod consideratione dignum notabatur, pulsus itidem naturalis.

Die quinto Cerebri gravitas accedebat, quæ ægro Chirurgoque terrorem incutiebat, cum tamen prægressis quatuor diebus non nisi ordinaria vulneris curatio instituta. Circa meridiem accedens ego pulsus nullo modo mutatum reperiēbam, levis tamen aderat ad vomitum inclinatio.

Vulneris locus vicinus erat futuræ sagittali, ad sinistram magis quam dextram inclinans, eratque duplex, horum unus foramen exhibebat  hujus figuræ & magnitudinis, per

hoc instrumentum nostrum exploratorium descendebat ad Cerebri interiora, effluebatque materia lactea.

Vulnus alterum non nisi cutaneum erat, ad Cranium pertingens, hoc non nisi ordinaria exigebat media, cruciali incisione à nobis ampliatum. Cranium huic subjectum benè erat constitutum, nullo modo fissum fractumvè; vesperino tempore, plumaceolo ablato, quod manè erat vulnere huic impositum, ægrotantis pulsum reperiebamus alteratum humorisvè ex priore vulnere effluxum notabiliorem.

Sequenti die, quod humor dictus ob vulneris angustiam convenienter effluere non posset, *Trepani* usum necessarium valdè judicavi, hujus applicationem licet concederet æger, mente satis constans, inhibuerunt tamen consanguinei. Humori alias lacteo puris aliquid hoc tempore erat permixtum.

Pergebamus itaque in curatione nostra methodo ordinariâ, & licet continuaret materiæ dictæ evacuatio, digiti tamen medii manus sinistrae extremum stupore aliquo afficiebatur, quem prognosticum certum habebamus periculi gravioris, lethalisque exitus, maximè cum brevi tempore manum totam occuparet. Ad hunc, cum valdè molestus esset ægro, frigore stipatus, sequens præscripsimus *Linimentum*.

Rx. Ol. Castor. ℥ iiij.

Succin. Cerae an. ℥ iiij.

Lavend. gr. vj.

Anethin. ʒ j. §.

M. pro linimento.

Applicabatur hoc calidè manui, brachio, cervici, dorsoque, inutilem licet *inunctionem* hanc æstimarent adstantes atque amici, rerum medicarum ignari, non manui, sed alii cuidam parti malum esse adscribendum judicantes.

Per aliquot dies Linimentum hoc usurpatum, ast sine ullo successu, imò indies de majori manûs frigiditate magis magisque conque- rebatur æger, consultum hinc visum, saccu- lum ex linteo paratum replere *Cataplasmate* se- quenti, eique manum, præmissa inunctione, imponere.

℞. *Fæcum crassar. cerevis. tenuis* (belgis Borstel) ℔ j.

Fol. Ruthæ, Scordii an. M. j.

Summit. Rorismarin.

Absinth. an. M. §.

Flor. Lavend. P. ij.

Misce cum Vini Gallici & aque vite an. part. equal.

At *stupor* cum frigiditate, quibus immobili- tas brachii sinistri, febris, viriumque destru- ctio, accedebant, indies augmentum fumebant, unde nobis suspicio oriebatur, si Cerebrum ip- sum non esset vulneratum, materiam purulen-

tam, aliamvè duræ meningi incumbere, sicque Cerebrum pressione quadam affici; & hinc necessarium omninò esse judicabam quamprimum Trepano Cranium perforare.

Peraçta *Trepanisatio* die decimo tertio morbi, qui *Julii* septimus, successu equidem, ut referebat æger, aliquo, ast haud considerabili, multò minus optato, licet enim materiæ humoralis exitus daretur liberior, gravitas capitis imminueretur, & stupor manus remitteret, paralyssis tamen sinistri brachii valdè augebatur, similiter ac febris; & sic tertius à tempore trepanisationis dies ægro fuit lethalis.

Jussu *Amplissimi Magistratus* Caput defuncti aperui, in quo quæ reperta fuerunt, scripto hoc eidem oblato exhibentur.

Nos infra scripti Chirurghi publici, ex mandato *Nobiliss. Dni Lamberti Reynst, Prætoris*, nec non *Amplissimorum hujus Reipubl. scabinorum*, Caput aperuimus *Alberti Tittzing*, in eoque observavimus vulnus inflictum penetrasse cranium, membranasque Cerebri, imò ad digitum longitudinem cerebrum ipsum, sic ut terminaretur in ventriculo dextro, in hoc puris aliquam quantitatem invenimus, undè corruptio, febris, paralyssis, animalium spirituum dissipatio, imò mors ipsa.

Nomina subscriptorum erant

JOB à MEEK' REN.

JACOBUS BLOK.

PETRUS YSENS.

CAP.

CAP. XVII.

De Tabe imaginariâ subito curatâ.

Joannes Verwouw, vir robustus, musculosus, sanguineus, subitò in corporis universi extabescentiam incidit (cujus contrarium obtinuit in cubiculario Episcopi patavini, qui licet verâ tabe laboraret habitu tamen corporis gaudebat verè athletico, quæ de re legi possunt quæ *Observ. 14. Cent. 2.* habet *Thomas Bartholinus*) eò quod sanguinis notabilem copiam tussi, uno quasi impetu, expectoraret, cujus evacuationis causam nullam aliam constituebat, quam vasis pulmonalis ex usu vini crudioris resolutionem.

Ad *Tabis* hujus *curationem* Medicamenta varia adsumpsit, at sine successu, imò consumptioni corporis potius ea occasionem dederant quam accretioni.

Expectoratio hæc sanguinolenta anxium valdè reddebat ægrotantem, qui etiam lethalem omninò eam habebat.

Ego, auditâ morbi historiâ, cum *Georgio van Loon*, Chirurgo, ægrotantis amico singulari, eum accedebam, fore sperans ut à præconcepta opinione, eâque perversâ, diverterem; Occurrens nobis, macilentus admodum & gracilis, qui antea carnosus satis corpulentusque fuerat, inspiciendum offerebat id quod expectoratione ejecerat, ollâ quadam contentum, spem om-

nem ulterioris vitæ ablatam sibi adjiciens. Nos, perspectâ conditione materiæ excretæ, verâ phthifcosindicem neutiquam eam habendam judicavimus, eò quod spumosa minimè, nihil omninò puris sibi permixtum habens, pura omninò, nigricansque; præterquam quod æstus interni, febrisque indicia nulla pulsus exhiberet.

Hiscæ sic consideratis, permetteret nobis, criss interiora intueri, rogavimus, quo, *scorbutici* affectus signa num aliqua hîc adsint, constare queat; Concessit, inspeximus ore contenta, occurrit ad radicem dentium molarium maxillæ inferioris carnea quædam excrecentia, quæ epulis dici solet, hâc perspectâ, Tabis, quâ se verâ laborare sibi persuaserat æger, veram sedem nos invenisse credebamus, hila i hinc facie ipsum alloquebamur hoc modo: *Amice*, quod si concederes nobis vini certam mensuram, promittimus incurabilis morbi quo affligi Te dicis facilem; brevemque curationem; stante etenim pede hoc auferemus, quod mali radix. Convenimus, promissoque vino (erat enim œneopola) cultello acutissimo *exscidimus* separavimusque à gingivis dentium dictorum excrecentem carnem, cujus residuum auferebamus cauterio actuali, quo simul effecimus, quod ulterior sanguinis effluxus fuerit inhibitus; ab hoc tempore ab omni sanguinis sputo liber fuit æger, tussis licet continuaret in eo qui asthmaticus semper fuerat. Hoc peracto sensim corpulen-

lentiam pristinam recuperavit, ab imaginatione prava in totum liberatus, sic ut vestimentis ordinariis more solito iterum uteretur.

C A P. XVIII.

De loquela & auditus, in muto & surdo, restitutione.

LUdovicus Joachimi, puer 12 annorum, quo misericordiam hominum commoveret, stipe victum quæritans, Tabulæ, quam circumferebat mendicus, inscribebat, se linguæ auriumque usu privatum in pago quodam Germaniæ, & quidem hoc modo, quod nempe dormiens dum incumberet tormento bellico, ab alio ebrio ignis fuerit admotus, unde dicti instrumenti secuta explosio, ex cujus sonitu gravi contraxerit loquelæ auditûsque abolitionem. Hoc medio ad aliquod tempus tantum effecit, ut magnam satis pecuniæ summam lucraretur. Ab tandem ab iis, quorum curæ in nostra civitate commissum mendicos excipere, detentus fuit atque in locum eorum conservationi ab *Amplissimo* nostro *Magistratu* destinatum deductus, quo sic manuum operâ ea perageret, quæ tractare eo loco *Magistratus* idem voluit.

Figmentum hoc quo ex ipso puero exponeretur, ædes eas quibus detinebatur accessimus, rogantes ut stylo qui ipsi ad manus erat, Tabulæ, facti, sæpius aliis expositi, historiam inscriberet,

beret, sic fore credentes, ut, quicquid fallaciæ subesset constaret.

Tabulæ inscribebat puer, (litteras pingens eleganter formatas, aptoque ordine cohærentes) historiam rerum gestarum ad eum modum, quo antegressis temporibus, dum mendicando se sustentaret, aliis proposuerat, huic addebat ætatis anno quarto infortunium hoc sibi obvenisse; ad quod, in eâdem tabulâ, ipsi reponebamus, falsissimum hoc esse, imò fieri haud potuisse, quum inauditum sit puerum quatuor annorum litteras posse legere, multo minus pingere; nec aliquem utroque hoc sensu spoliatum artem legendi, scribendivè addiscere posse. Præterea notificaret nobis exigebamus qui ipsi constaret, dum somno deditus tormento dicto incumbere, à viro ebrio ignem fuisse admotum, ejusque ope explosionem promotam? Ad hoc, consternatus licet aliquo modo, respondebat scripto, homines eos, qui adfuerant, hæc retulisse. At nos fieri haud potuisse regerebamus, quod illi, qui subitò adeò sensus dictos amisisset, hæc ab aliis indicarentur, imò credibile minimè esse in promptu ipsum eo tempore habuisse Tabulam cui inscriberent acta qui iis adfuerant homines. Ille tamen vera esse quæ retulerat constanter asserere perseverabat. Concludebamus nos nebulonem eum esse, atque mendacem, (quod etiam Tabulæ inscribebamus, ne inscius sententiæ nostræ esset) similique omninò modo eum procedere falsâ suâ scripturâ, ac illi qui sepul-

sepulchrum Christi custodierant, dum somno eramus sepulti inquietes Discipuli ejus furto abriperunt corpus ejus.

Hisce sic transactis digitis explorabamus constitutionem linguæ, hanc omnibus locis liberam inveniebamus, nec aliquid in ejus motu desiderari, quapropter duris eum verbis aggredi consultum ducebamus, at nihil effecimus. Quod si loqui recusaret, constitutum esse indicabamus foramine in collo facto Cauterio actuali, s. potius forcipe ignitâ linguam cum partibus connexis apprehendere, sicque comburere, & quo magis nobis fidem daret, leve vulnuscum maxillæ infliximus, quod ubi peragebatur verborum quorundam sonum proferre mussitando videbatur. Hisce sic peractis, objurgatione debitâ additâ, discessimus, die Saturni.

Sequenti die, qui Solis, liberum erat pueris in arêâ domûs illius ubi detinebantur ludendo horas consumere, quibus conciones non instituebantur, convenerunt omnes, noster quam per viam aufugere posset sollicitus quærit, tandem per cloacæ angustias eam invenit, favente ipsi & vento & mari; ille enim impetuofus admodum eo tempore, auster gravis, aquas vicinas in mare diverterat, adeò, ut terra omnis, etiam illa quæ fundamentum ædium earum quibus conservabantur illi nebulones, exsiccata, undè sicco pede etiam per stercorea loca incedere ipsi concedebatur. Observantes, qui aderant, in cloacæ inferiora pueri hujus descensum, quo

te moves *Ludovice*? clamitabant, quid rerum agis? ille, loquendi libertate jam concessâ, indicat quæso, respondebat, Chirurgo, qui crastino die accedet, me contemnere omnes ipsius machinas, etiam cauteria actualia, convenienter satis & loquor, & audeo, nullo auxilio medico indigeo, quicumque vestrum liberari à servitute desiderat, mea vestigia premat, eâ quâ processu viâ, sequatur, constat mihi, quo loco exitus concedatur &c. Fugâ hac methodo se salvavit *Ludovicus*, rerum gestarum historiam ei, cui cura domestica demandata, referebant qui adfuerant, hic cum admiratione, & consternatione, negligentiam suam accusabat, omniumque eorum, qui discessum ipsius impedire potuissent.

Anno post discessum quarto *Amstelodamum* redire ausus fuit *Ludovicus* noster, more & modo solito se sustentare in animo habens. Primo tempore adventûs novi mulierculas eas accessit, quæ in foro piscario pisces vendere solent; His vanâ misericordiâ motis cibum, potum, imò & pecuniam, fallaci arte extorsit; prudentiâ tamen majore hoc tempore utebatur, ac usus fuerat antegressis; Tabulæ etenim quam circumferebat inscribebat, parentes se habuisse divites, ast injuriâ belli ad paupertatem deductos, hos curasse, dum salva res erat, ut legendi, scribendique in arte informaretur, statu parentum sic exigente varias terras se perlustrasse; hoc in itinere evenisse sibi, ut cum ætatis anno

octavo Tormento bellico, placidioris somni gratia, ne humidioris soli vires experiretur, incumberet, admoto igne tormenti explosio ab homine ebrio fuerit peracta, unde ex strepitu summo auditus loquelæque inducta ablatio.

Relicto foro statetariam accedebat, in qua similiter ac in foro pecuniæ non minimum lucrabatur. Rerum hinc peractarum rumor deferebatur in curiam; in hanc ex mandato *Ampliff. Dn. Scabinorum* deducebatur mutus surdusvè; ubi ea astutia atque dexteritate omnia proponere visus ut etiam plurimi scabinorum vera ipsum exhibere scripto suo sibi persuaderent, placuit interim Magistratui captivum cum hinc detinere loco consueto, donec de rei veritate falsitatevè certius constaret, cum in finem etiam me advocari jusserunt.

Accedens ego idem esset nec ne qui antè aliquot annos nobis hinc occurrisset, hærebam; nihilominus cum iidem gestus in hoc observarentur qui in alio, eundem cum esse qui antea fuga se salvaverat, conjiciebamus. Tabulæ, quæ notificari nobis voluit, inscribebat, hinc literarum formatio lucis plurimum adferebat, correspondebant etenim omni modo iis quas pingere observaveramus puerum priorem. Ante quadriennium loco eo publico quo detinebatur quæ fuerant peracta, ore, non scripto, ipsi proponebamus ad quæ, licet varia essent quæ dicta nostra eum percipere indicarent, nihil respondit.

Tentamine hoc, examineque vario, nihil efficientibus, præterquam quod objurgationes variae accederent, in publicum deduceretur curavimus, quo cicatrix, ex vulnere maxillæ antè quadriennium à nobis inflicto, dubitationem ulteriorem tolleret. Successit negotium, occurrebat cicatrix, qua visa, fallaciam jam esse detectam & nobis & *Dn. Scabinis* constabat. Ille ex verbis nostris quo in statu constitutus esset percipiens, ne scelerum pœnas dignas lueret, manibus pedibusque flexis procidit in genua, balbutiendoque, se quidem loqui posse confitebatur, at minus perfectè illud fieri, *Dn. Scabini*, re hac scelestâ cognitâ publico cum exponebant, condecoratum scedula cui inscripta hæc verba: *Een storme en doove sprekende en boorende gemaakt*, h. e. muti surdive subitanea curatio. Virgis hinc castigatus, in ædes eas deductus est ubi labore continuo ligna comminuere cogitur ad aliquot annos.

C A P. XIX.

De manu exarefactâ, restitutâ.

M*Aria Everardi* netrix acu vulnerata erat eâ parte manûs sinistræ quæ proxima ligamento annulari, negligens hoc, licet dolores remittentes, sæpius sat graves, molestant, stupore correpta digitorum, rigiditateque imò tandem manûs integræ exarefactione.

Quæcunque hic adhiberentur medicamenta,
for-

formâ litus, fomenti, emplastrivè, nihil effecimus; frustra etiam usurpavimus Pulverem ad membra exarefacta à *Fel. Wurtz* commendatum.

Cum aliquandò auditor essem Viri Amplissimi *Dn. Nicolai Tulpii* eo tempore *Scabini Reipubl. Amstelodamensis*, & Chirurgiæ prælectoris Ordinarii (quas lectiones, docente *Plempio* tract. de musculis part. 1. obs. 80. Magistratus noster institui voluit in gratiam Chirurgorum eò quod ex inscitia alicujus ea curatio in senatore quodam instituta, quæ illegitima omninò,) membrum arefactum corrigi posse, sic ut corpulentiam debitam reciperet, percepi, si suctio ope cornu accommodati institueretur; quod propositum *Nobiliss. Tulpus* autoritate *Fabr. Hildani* confirmabat. Placebat adeò hæc curandi methodus, ut sine ullâ morâ eâ in ægro tante nostrâ procedere constituerim, ex voto successit, sic ut brevi tempore perfectæ sanitati manus restituta fuerit. Plura hûc facientia legi possunt obs. 49. part. 3. dicti *Tulpii*.

C A P. XX.

De cæcis Oculos in manu gerentibus.

Accuratè admodum notavit divinus *Plato*; tum ingenii Oculos exactius videre, cum Oculi corporis splendorem suum, operationemque incipiunt amittere. Commovit hoc *Democritum* teste *Cicerone Tusculan. quæst. 4.* ut ocu-

los tamdiu in pelvim splendens solis radiis appositam defixos teneret, donec tunicæ eorum corrugarentur humores consumerentur, visus sensim imminueretur, adeoque sic cœcitas omnimoda induceretur, quo sic accuratius, sine ullo impedimento, omnia internè contemplari posset.

Quibus nativa cœcitas fuit, vel etiam primis ætatis annis ex causâ externâ internavè inducta, eorum plurimos miranda, imo incredibilia sæpius tractasse, scripta authorum variis locis tradunt.

Didymus Alexandrinus, qui per annos septuaginta cœcus fuerat, in sacris literis adeò erat versatus, ut cum *Hieronimus Didymum* suum videntem s. oculatum vocaverit.

Rabbi Joseph Cœcus, visu privatus erat, nihilominus Veteris Testamenti plus quam tertiam partem in linguam Chaldaicam transtulit.

Nicasius van Woerde (ne nostra tempora prætereamus) natione Mechlinensis, tertio ætatis anno visu orbatus, referente *Ludovico Guiciardini* in Historia Belgica, ad eum perfectionis gradum in scientia rerum humanarum, divinarumque pervenit, ut non solum artium liberalium Magister creatus fuerit, sed & Scholæ Mechlinensis in lingua latinâ Rector, hinc Theologiæ Licentiatus in Academiâ Lovaniensi, qua in urbe verbi divini summa cum admiratione doctorum virorum præconem vicibus iteratis egit. Plura hac de materiâ, præstantiâ nempe

nempè oculorum ingenii, oculis corporis deficientibus, scire qui desiderat, legat quæ habent *Philippus Camerarius*, *Antonius Panormitanus*, aliique.

Nobis quæ occurrerunt in cæcis notata, non minoris momenti iis quæ ex aliis modo proposuimus.

Vir nobilis *van Eyck psaltes Organicus Ultrajectinus* ætatis anno secundo cæcitatem contraxerat, agilis adeò ac si oculos manibus gestaret. Omnis generis instrumenta manibus suis tractabat, fistulas imprimis, quibus curiosè adeò canebat, ut grato sono, diminutione incredibili variè alterato, auditorum aures mirè repleret. In musicis excellebat adeò, ut artis illius cultores quæ composuerat Deorum magis facta, quam hominum æstimarent. Turris Ultrajectinæ altissimæ superiora ubi campanarum locus perreptare eâ circumspeditione poterat, ad id ut perversus earum sonus corrigeretur, qua ullus alius visu convenienter gaudens. Manuducere hominem meticulosum per locum angustum, periculosum, animo intrepido, facillimum ipsi.

Plures ubi convenerant Puellæ, virgines, mulieres, exactè indicare poterat quænam omnium formosissima. Nil magis in votis habebat, quam quod equum conspiciere concederetur, qui omnium creaturarum nobilissima habebatur, nec displicere mox primam cæcitatem redire. Mira hætenus proposuimus.

At quid admirationis movebunt illa quæ de

Petro Maastrichtense referuntur, hic Amstelodamum vocatus oculos manibus gestare visus. Non solum Aleâ ludendi ars varia probè ipsi nota, sed & chartis lusoriis qui exercentur lusus cujuscunque etiam generis, exactè adeò ab ipso tractabantur, ut etiam in hâc arte exercitatissimo neuitiquam, imò nunquam cederet, modò sincerè ageretur.

Chartis his quoties ludere constitutum, novas eas (neuitiquam enim iis uti placebat, quæ attritæ aut saltem jam ab aliis usurpatæ) assumebat, has variè manibus tractabat, quæ, insciis affidentibus, notas obscuras, minimè ab aliis observabiles, digitis imprimere liceret. Ad notas has inter ludendum attendebat felici memoriâ gaudens, sicque cum admiratione summâ variè chartas distinguere valebat.

Contigit aliquandò chartas ipsi exhiberi, ordine debito (ut solet nonnunquam, haud dispositas, imprimit ille more solito, haud observantibus affidentibus signa sibi usualia ad id ut discernere eas possit necessaria, instituitur lusus, quam manibus suis se tenere æstimabat, & revera tenuisset, si justo modo chartæ hæ collocatæ fuissent, adversarius possidebat, hinc altercationes oboriuntur, utroque eandem chartulam exhibere se posse asserente, quæ non fuissent sedatæ nisi autoritas eorum qui lusoribus hisce duobus aderant intervenisset, fidem hic habebat, eumque qui chartas has confecerat, aut saltem disposuerat hîc accusandum esse affirmabat.

Varii coloris lintea varia manibus tractans distinguere quam accuratissimè ea poterat, suisque nominibus insignire. Concipere se haud posse addebat, quid sit color.

Hujus videndi desiderio summo afficiebatur *Martinus Casteleyn*, qui ætatis annis primis visum amisit, postea nihilominus celebris instrumentorum musicorum fabricator evasit.

C A P. XXI.

De Oculis audiente.

PRIUSquam, quid rationis habuerimus, propter quam prægresso capite exhibitam observationem publico communicare placuit, exponamus, consultum valdè eidem jungere exemplum alicujus qui aures oculis gestabat.

Et si *Amplissimus Dn. Nicolaus Tulpius*, hujus loci *Consul, obs. Medicar. Cent. 4. cap. 19.* Surdi visu verba intelligentis historiam proposuerit, haud inutile tamen fore æstimamus, si, quæ præsentè Celeberrimo Viro *Dn. Guiljelmo Pisonè* in eodem surdo observavimus, à viro nobilissimo dicto loco adductis addamus. Homo hic, referente *Tulpio*, ex edito templi *Purmerendani* culmine prociderat in terram, aut durius aliquod subjectum, ex quo casu, forsan etiam usu inordinato medicamentorum, minus huc facientium, gravem primò auditum, hinc omnimodam surditatem contraxit, adeò, ut ne quidem tormento bellico excitatum sonum

percipere valeret, nihilominus tamen peculiare hoc illi ex motu labiorum quemcunque intelligere sermonem, & promptè respondere ad quævis interrogata, sive cominus, sive eminus proposita, modò idoneus sub dio caperetur locus, neque labia effugerent oculorum sensum.

Domum furdi vix erat ingressus *Dn. Piso*, cum voce leni, labiis vix motis, interrogaret, ubinam est uxor tua? respondebat furdus, in templo, (erat enim dies solis) quo cum liberis verbi divini explicationem audiat.

Pergebat *Dn. Piso*, voce magis submissâ, potesne tu in templo audire quæ concionator proponit? Si, reponebat furdus, possem audire quæ docet concionator, non essem furdus, interim tamen quæ proponit intelligo; ast canere nequeo. Cur ergo ecclesiam non accedis? instabat *Dn. Piso*, quia inquit furdus custodire teneor ædes meas, infantemque.

Discursus hic insigni admirationi ansam dedit, sic etiam ut jocando in hæc verba erumperet *Dn. Piso*: credo Te communicasse ea furdo, quæ ad interrogata mea respondit.

Relictâ ecclesiâ iam fluvium accedebat Medicus, referret ipsi mulsitando exigens: quot naves eo loco detinerentur, ubi exædificari solent: sex numero reperiri respondebat, imò cujusvis nomen addebat.

Tandem post confabulationem variam author fui *Dn. Pisoni* ut linguâ latinâ ipsum alloqueretur, annuebat, an vales? inquit, dic mihi?

mihi? quot liberos habes? & sic porro. Ad hæc Surdus; *Domine quid queris? quid loqueris? intelligere nequeo, lingua Gallicâ, Hispanicâ, Latinâ, aut aliâ hæc te proposuisse credo, non est quod responsionem expectes.* Desinere hic coactus *Dn. Piso*, cui exemplum simile nunquam occurrerat.

Observationem hanc similiter ac præcedentem arti Chirurgicæ parum utilitatis adferre licet constet, placuit tamen aliis utilioribus eas addere, quo solatium aliquod adferre queant iis, quibus inter curandum sensuum externorum aliquis aboletur. Externis enim sensibus ablatis, ingenii sensus augeri ferè solent.

C A P. XXII.

De insignis magnitudinis hiatu in palato.


QUam inordinatus sit sonus in iis, quibus oris palatum hiatu inveterato laborat, quoties loqui coguntur, omnibus notum qui arti sese dederunt Chirurgicæ, medicævè. Hujus mali ad correctionem, quo accuratus magis excitetur sonus varia omni tempore excogitarunt artis nostræ cultores media, opercula imprimis, quorum quædam descripsit, delinearivè curavit *Carolus Battus* manualis Chirurgici, *Tract. 2. cap. 13.*

Intermittere non possumus, quin describamus, delineemusque obturamentum aliquod extraordinarium, ex foramine incredibilis amplitu-

plitudinis palati ad fauces prolapsum, præsentem *Cornelio Kerchem* Reipubl. hujus Chirurgo ordinario in cadavere mulieris alicujus ex mandato *Ampliss. Dn. Prætoris* atque *Scabinorum* dissecto, observatum.

Subito hæc extincta, undè venenum assumpsisse dicebatur; hoc quo constaret, ope speculoris, interiora ejus intueri consultum visum, occurrebat illicò particula corticis illius porosi, quo uti solemus ad vitrorum occlusionem (belgis *Kurk*) obducta plumaccolis, hinc lamina argentea tecta, quæ ex palato, cujus foramini imposita fuerat, deciderat ad fauces, ubi laryngis deducta angustia, ex qua subita suffocatio. Notavimus hæc 27 Martii 1654.

Proposuimus hæc, non quod foramen, magnum adeò, quod jam occalluerat, curari potuisse, aut debuisse, velimus, sed ut moncamus nunquam opera talia usurpari debere, nisi quæ firmiter undique vicinis cohæreant, ne suffocationis periculum adsit.



C A P. XXIII.

*De Tumore gravi linguae, partiumque
vicinarum,*

PItuita non semper est, aut humiditas albicans, quæ partibus corporis inhæret vel adhæret.

Aristoteles eam ob causam Cerebrum album dicit, quod ex pituitâ albâ constituatur.

Fallopins Ranulas sublinguales ex pituitâ tenui, glutinosâ, originem ducere statuit, eo quod hæc materia copiosè eo loco colligatur, hinc ex admixtione sanguinis vel bilis flavæ aut atræ coloris ejus fieri cujus *Ranula*, unde nomen habet.

Nauta cujusdam *Snekenfis* uxor per tres quatuorvè dies faucium laboraverat ariditate, cui originem forsan dederat catharrus frigidus, frequenter hinc ipsi molestæ erant mucosæ collectiones, quarum partem ad faucium humectationem, emollitionemvè deglutiebat, partem ad anxietatis quam ex angustia faucium patiebatur imminutionem, excreatione ejiciebat.

19 Mensis Martii 1656. subitò ex delapsu humorum ad asperæ arteriæ principium quasi suffocari videbatur, illa, ut ab hac materia fauces angustante liberaretur omnes intendebat conatus, evacuationemque moliebatur qua fieri poterat vi, excrescentia hæc, molesta valdè, dum peragebatur, ex sonitu, quem audivisse se ferebat,

bat, aliquid circa fauces dirumpi colligebat, quod factum certius constare videbatur, ex eo, quod Lingua, Amygdalæ, ipsumque palatum illicò intumescerent.

Tumor hic partium dictarum brevi tempore incrementum sumpsit adeo magnum, ut quo vis momento, quod fauces summoperè præcluderentur, suffocationem instare sibi persuaderet. Cogebatur adeoque de nocte me accedere, submissequè ipsi in hoc periculoso statu constitutæ succurrerem, licet sine voce, rogare.

Quæ primò in ore occurrebant sub linguâ, ad palatum, imò ad fauces ipsas nil nisi mucum albicantem compactum referebant (tantæ erant albedinis partes omnes locis dictis se exhibentes) undè ob summam anxietatem, mentum applicare pectori, fauces constringere, linguam extra os exserere, cogebatur. Præcipuum quod in hoc casu usurpare conveniens videbatur, quo mucus abstergeretur, *Gargarismus* erat sequens vi penetrante atque incidente præditus.

℞. *Aq. Hord.* ℥ j.

Lavend. ℥ iiij.

Vitæ ℥ ij.

Syr. Stœechad. ℥ j ℞.

M. F. Gargarism.

Utebatur eo, pro *collutione*, calidè.

Jungebatur huic *Unguentum* collo, mento, pectori illiniendum.

℞. *Mu.*

℞. *Mucag. Sem. Lini Althææ.*

Fœnugraci.

Extract. ex Decoct. Ficum an. ʒ j.

Ol. Lilior. alb. Anethin.

Axung. Anatis an. ʒ ʒ.

Ceræ novæ q. s.

F. Linimentum.

Præter hæc *Cataplasma* applicatum collo,
mentoque, quod

℞. *Radic. Althææ.*

Lilior. alb. an. ʒ ij ʒ.

Ireos nostrat. ʒ j.

Fol. Malvæ Violar.

Bismalv. an. M j.

Flor. Chamomill. Anethin.

Melilot. an. M. j.

Ficum Recent. ʒ j.

Coquantur in aq. com. q. s. hinc teran-
tur, & pastentur, postea adde

Farinæ Semin. Lini.

Fœnugraci an ʒ j.

Adipis Gallin. Anseris.

Anatis an. ʒ ij.

Coq. Mod. F. Catapl.

Nihil omninò hæc omnia effecerunt. *Vene-*
sectionem hîc instituere nihil erat quod indicaret,
Tumor etenim splendens, albus, sanguinis fer-
mentationem haud notabat, imò calorem po-
tius

tius imminuere quam augere videbatur.

Ad materiæ revulsionem conveniens magis æstimabam *Enema* aliquod injicere, *Cucurbitulasque* nonnullas cum *scarificatione* applicare. *Clysteris* alvum lubricare, superfluitatesque evacuare, apti hæc erat descriptio.

℞. Rad. *Althææ*, *Lilior. an.* ʒ j ʒ.

Ficus Ping. n. iiij.

Fol. Malv. Violar.

Verbasci, Mercurial. an. M j.

Semin. Lini, Anis.

Fœnugr. an. ʒ ʒ.

F. Decoct. in aq. com. q. s.

In Colaturæ ʒ ix. dissolve

Mell. Violar. ʒ j.

Confect. Hamech. ʒ j ʒ.

Hier. Picr. ʒ ij.

Salis comm. ʒ j.

M. F. Enema,

Statim injiciendum.

Clysteris usu præmissio, *Cucurbitulas* tres quatuorvè *Cervici*, ac *scapulis* cum *scarificatione* applicari curavi, imò & *Vesicatorium* ex cantharidibus locis post aures.

Nec hæc aliquo cum successu usurpata, quin potius in pejus ruere omnia videbantur, in lingua enim, palatovè, imò partibus sublingualibus, buccisque color subniger se manifestabat, qui sphacelum earum partium minabatur, hinc respirandi majorem difficultatem.

Summo mane ægrotantem nobiscum accessit *Vir Experientissimus Dn. Franciscus de Vicq*, qui affectus gravitate perspecta, cui similem toto praxeos tempore se haud observasse assererat, Venæsectionem in brachio æque ab sub lingua instituendam commendavit. Sub lingua eam instituere difficillimum erat, eò quod Tumor linguæ partiumque sublingualium impediret, sectis nihilominus rarinis venis, sanguis effluxit prævus, niger, cum respirandi difficultatis aliqua equidem imminutione, at gangrænæ signis evidentioribus, ad hanc *Collutio* sequens præscripta.

℞. *Decoct. Hord.* ℥ viij.
Scordii lb ℥.
Aque vitæ ℥ iij.
Liquor. Ægyptiac. ℥ ij.
Mell. Rosar. ℥ j.
M. F. Gargarisma.

Imò & *Cataplasma* hoc Collo mentoque applicari necessarium duximus.

℞. *Nidum Hirund. benè purgatum.*
Flor. Chamomill. m ij.
Coq. in cerevis tennis q. s.
ad consistentiam Cataplasmatidis.
Addendo Ol. Lill. albor. q. s.

Circa meridiem, quod & vires & respiratio-

nem imminui observaremus, ad evacuationem materiæ locis dictis hærentis, utrinque linguam longè profundeque vulnerare, utile duximus, sanguinem etenim hîc collectum esse, haud adeò pituitam, in prægressis circa affectûs curationem observata, declarabant.

Quamprimum *Incisiones* peractæ, sanguis effluxit ater, impurus, concretus, secuta illicò respiratio liberior, tumoris imminutio, loquendi major facilitas, hinc labiorum linguæ, internarumque partium buccarum separatio, ad hanc promovendam Gargarismum supra præscriptum usurparet, Authores fuimus, omisso Ægyptiaco & spiritu vini. Eundem in usum *Linetum* hunc parari jussimus.

Rx. Syrup. Rosar.

Portulac. an. ℥ ij. m.

Et horum mediorum usum Curatio secuta integra, licet inexpectata, sicutamen ut intumescencia quædam intra musculos & glandulas linguæ relicta fuerit, quam successu temporis imminui posse censebamus.

Observatio hæc evidenter satis, meo judicio, declarat, signa qua ab externis desumuntur in dignotione morborum, causarumque morbificarum fallacia sæpius esse, adeoque quæ ex materiâ mucosâ producta judicantur, ideò quod interius latentis calidioris humoris indicia haud adsint, non semper medicamentis calefacienti-

bus,

bus, incidentibus, dissipantibus curanda esse, ne exasperetur malum, quale quid in nostrâ ægrotante observare nobis liquit.

Marcus Aurelius Severinus humores pituitosos ope sanguinis per partium poros diffundi docet, adeoque in ejusmodi casu non ad eò pituitam, quam sanguinem ipsum, Medicum, Chirurgum in suâ curatione respicere debere.

Observationi huic antequam imponamus finem, inquirere necessarium, quæ fermentationis gravioris, collectionisque, in hoc affectu causa fuerit.

Credibile valdè, eo tempore quo magno conamine faucibus collectum muçum ejicere laboravit, aëris aliquid venæ jugularis ramulum intrasse, cujus in linguam, fauces, palatumque distributio, hinc, disruptione accedente, sanguinem fuisse extravasatum, quale quid non raro in vasis pulmonum contingere notamus, ex clamore, tussi, expectoratione.

Sanguis hic circa linguæ basin collectus pituitæ quod habet lingua (habet autem ejus quantitatem majorem ac habent partes aliæ) commovit, sic ut extrorsum delatum Ranulas, candore notabiles, excitaverit, hinc etiam universam partium ore contentarum superficiem madefecerit.

Anno 1559. mulier hæc ædes nostras accessit, tumore gravi, inæquali, eoque satis magno, dictis locis fauces adhuc non parum angustari, non sine dolore summo, referens. Hic

cancrofi quid accedere posse & ætas senilis, & temperies frigidior, & ipsius affectûs conditio præsens, inter alia, suadebant.

C A P. XXIV.

De cura eorum quorum penis podexvè clausus, similiter ac earum quarum vagina non aperta.

IN recens natis non rarò podicem imperfectum observari, exclusionem fœcibus dene-gante membranâ quadam crassiore, orificium intestini recti claudente, varia ab authoribus variis proposita exempla declarant, legi hâc de materiâ possunt quæ habent *Fabr. Hildanus parte 1. obs. 3. Antonius Benivenius lib. 1. cap. 30. Ambrosius Paræus lib. 24. cap. 17.*

Membranam hanc anum cludentem unguibus lacerari posse *Paulus Aegineta lib. 6. cap. 6.* docet. *Hier. Fabr. ab Aquapendente* orificia clausa instrumento secante aperiri vult, imò unguibus venenatis imperitæ obstetricis apertionem hanc minimè permittri debere; addit insuper monitum hoc: *Nullam sectione perficiendam esse aliquâ in parte corporis apertionem alio loco, quam ubi veri foraminis vestigium, digito obvium, notari potest: Ubi enim, inquit, vestigium nullum occurrit, cultri usus non obtinet.* Exemplum hujus rei apud *Hildanum, part. 1. cap. 75.* invenire licet.

Honestâ, inquit, quædam Matrona Genevensis filium peperit, qui clauso ano excrementa per du-

Etum urinarium simul & urinam excernebat, accessito itaque Medicorum & Chirurgorum collegio, nullus in ea fuit opinione, ut de ani incisione quicquam tentaretur. Tandem cum excrementa indurescerent, nec per ductum ullum amplum amplius permeare possent, inflatus est venter, exorta febris, aliaque symptomata, ita ut decimo septimo ætatis die à vita decesserit, aperto cadavere inventum est intestinum rectum vesicæ fundo adnatum. Admonitionem hanc consideravimus in recens nato filio alicujus aurifabri, cujus glans non perforata, nullo præsentis meatûs vestigio. At subtus glandem insculptum observabamus foraminis vestigium, membranaceo quodam velamento rectum, hoc loco instrumento à nobis noviter invento, in hypopio usuali, apertionem fecimus, & effluxit urina insigni satis copia, satisque rivulosè.

Infantes nobis occurrerunt varii, quorum anus imperforatus, integumento membraneo incrustatus, similiter ac puellulæ diversæ, quarum vagina uterina velamento simili occlusa. In omnibus felici successu instrumentum modò indicatum usurpavimus, nec unquam foramini factò turundas aut alia ejus sortis imponere coacti sumus, cum nullus metus sit modo dicto aperta conglutinari subitò iterum posse, quale quid sibi persuadet *Paulus*, continuus enim materiæ effluxus unionem hanc non potest non impedire; in puellulis tamen cum larga, continuaque adeò, imò nulla excretio humoris ex-

crementivè liquidioris, per vaginam, non inutile observavimus Emplastrum Diapalma liquefactum plumaceolis exceptum, turundæ formâ vaginæ imponere, quo inhibeatur conglutinatio.

C A P. XXV.

De Empyemate imi Ventris.

Eodem ferè modo ac in Thoracis cavo puris collectio, quæ *Empyema* dici solet, & pleuræ inflammationi, in abscessum degeneratæ, originem ferè debet, in muliere quadam cujus nomen *Jannetje Jochems*, in nosocomio nostro decumbente, ex inflammatione peritonæi purulentæ materiæ collectio in cavitate infimi ventris.

Mulier hæc, gravida, infantem pepererat nulla præsentē, adjuvantē obstetricē; post partum laboriosum de dolore sinistri lateris gravissimo valdè semper conquesta; venter insignem in molem intumescere cœpit, tandem, post varia adhibita medicamenta, circa umbilicum protuberantia quædam occurrit, quam illicò cultro apto aperuimus, (pus etenim subesse constabat, hoc tamen peritonæo incumbere judicabamus) & plus quam pinta integra puris foetidissimi effluxit.

Aliquot dierum spatio finito, quo puris evacuatio per vulnus factum continuabat, instrumento cereo exploravimus, quonam loco purulen-

rulenta hæc illuvius, copiosè adeò die nocteque effluens, hæreret, & candelam hanc recto ductu per peritonæum in Ventris cavitatem penetrare reprehendimus, ad ipsa usque intestina, quod anatome demortuæ postea plenius detexit.

Materiæ purulentæ per vulnus effluenti non rarò portiones omenti miscebantur, at corrupti omninò.

Primis diebus evacuatio puris aliquid levaminis videbatur adferre ægrotanti, at sequentibus, foramine indies ex ulcere augmentum sumente, ægræque viribus ob copiosum puris effluxum, adeò ut etiam sæpius ei quasi innataret, magis magisque destructis, vitam finire coacta est, quartâ etenim septimanâ ab eo tempore quo pus ejicere venter cœpit, interiit.

Post mortem *cadaveris* abdomen dissecurimus, quo qualis viscerum constitutio constaret, non obstante intolerabili fœtore. Observare hîc licuit, *Pus* loca omnia quæ Lieni vicina, sub peritonæo occupasse, adeò ut partes omnes latere ventris sinistro collocatæ, *Lien* imprimis, puri immergæ laterent. Partium dictarum quænam purulentæ collectioni originem dederint, certò determinare arduum, cum *Peritonæum*, eo locò ubi pus detinebatur, corruptum, inflammatumque, facile, quænam pars accusari hîc debeat, colligere licet.

Uterus (quem læsum ægra conjecerat) benè se habebat, debitoque loco detinebatur. *Omenti*

pars

pars magna putredine consumpta. *Intestino-*
rum itidem quorundam tunica exterior à pure
corrosivo non uno loco lacerata. Nec tamen
(quod plerunque contingere solet) pus hîc col-
lectum, intestina tegens, ad inguina ipsa devo-
lutum erat, quod experientiam quorundam in-
fringit.

Laborem haud sumpsissemus observationem
hanc miraculosè adeò depingendi, nisi *Fabr.*
Hildanus illud fecisset in suo futuro *Petro Bour-*
ge, cujus ex ventre puris sinceri libras undecim
extraxit, ubi cadaver demortui aperum, nec ta-
men, similiter ac nos, causam mali cognoscere
potuit, licet enim omnis corporis angulos perve-
stigaverit, nihil aliud invenire se potuisse scribit,
quam quod Hepatis lienisvè durties præter na-
turalis adfuerit.

C A P. XXVII.

De Urina per podicem excretionem.

ULcera colli vesicæ urinariæ sæpius exten-
di, variasque extraordinarias vias quære-
re, per quas, anfractuoso quandoque ductu, pu-
rulenta evacuetur materia, verum esse repre-
hendimus in *Judeo Lusitano Abrahamo Mont-*
sant. Hic postquam longo tempore Gonorrhœâ
gravi laborasset partium vicinarum dolorem
contraxit summum, imò etiam muscoli glu-
tæi, & cum eo Podicis ipsius exulcerationem,
adeò ut per hanc viam cum impetu urinam red-
dere

dere cogeretur, quod ipse meis oculis non semel observavi.

Frustra omnis gentis & medicamenta & Chirurgica instrumenta non solum Medici Chirurgivè adhibuerunt Judæi, sed & Christiani, quod foramina omnia, per quæ excretio urinæ perficiebatur, occalluerint; considerabilis imprimis evacuatio ea quæ per podicem, similiter ac ea quæ per ulcera fistulosa incurabilia plurima, huc faciunt quæ *Thomas Bartholinus Cent. 4. hist. 98.* præponit his verbis: *Torbernus Borrezen* emeritus nauta Regiæ Classis, extrà portam orientalem Hafniæ habitans, herniosus olim & calculosus, miserè decumbit. Non tam auxilii fiduciâ, quam misericordiæ testandæ gratiâ, hominem invisi, vidique obturatam urethram, usuque cessante flaccidam. Lotium non per consuetum canalem reddit, sed per alia foraminula callosa in scroto dispersa. Duo observavi in scroto, unum anticâ parte, alterum posticâ. Prætereâ tertium in canali ipso circâ radicem ad latus sinistrum. Hinc omnis urina excrevitur, subinde cruore mixta. Ad summam atrophiam jam pervenit, cibosque se averfari solidos testatur, & satis depellendæ gratiâ, lympham modico vino temperatam amat.

Jam antè curæ nostræ submissus *Philippus Andraæ*, œconomus nauticus, cui ex casu gravi in anchoræ partes acuminatas contusio primò, hinc gangræna atque exulceratio scroti, perinæi, partiumque connexarum supervene-

rat ; Urinaria via hîc angustata , undè per foramen in perinæo P. n. relictum urinam reddere coactus. Foramen hoc , aliquo tempore angustatum , occasionem dedit ejulatu , variisque corporis agitationibus , molestum etenim admodum ægrotanti erat dolorificumque , per dies sex urinæ omnimodâ suppressione laborare ; curationis hîc spes nulla , nisi quæ ab apertione foraminis clausi , manuali operatione perficiendâ , expectari potest , eâ in hoc ægrotante institutâ , cannulam plumbeam cereo linteo vestitam foramini imposui , quam fasciis aptis constrinxi , quo urinam per eam emittere sine incommodo queat æger.

C A P. XXVIII.

De Epuli de insignis magnitudinis feliciter ablata.

UT molestum , inquit Nobiliss. Tulpus observ. 49. lib. I. sic quoque periculosum sanguinem profluere ex oculis , auribus , ac dentibus , si vè quoad venas arterias vè , ex quibus facile plus effluit , quam partes quibus destinantur sint ferendo : si vè quod remedia , profluvio huic necessaria , ægerrimè perducantur ad loca diversorum vasorum , sanguinis ex hac illâ vè parte effluxus præternaturalis graviter sæpius commovet homines , sicut deliquium non raro superveniat.

Netrici cuidam , Emmetje Gerrits , virgini floridæ ætatis , dens extractus maxillaris cariosus , secuta maxillæ dentibusque adnatæ carnis

gingivalis ex exulceratione consumptio, illius imprimis, quæ oculari maxillariumque primo adhæret.

Ex loco læso *fungosa* quædam caro, eâque satis magna, propullulabat, hanc, quod sanguinem copiosè funderet, loquendique difficultatem induceret, præterquam quod in cancrum commutari posse sibi persuaderet ægra, instrumento apto extirpari, conveniens videbatur.

Primum hoc in casu à nobis usurpatum, medium illud erat, cujus meminit *Aëtius sermon. 8. cap. 25.* At sine successu adhibitum. Consultum adeoque visum, *atram bilem præparans expurgansque Decoctum*, per vices assumendum præscribere.

℞. Rad. Cichor. cum toto Mj.

Petroselin.

Fœniculi an. ℥ j.

Polypod. quercin. ℥ ss.

Herbar. Scolopendr.

Betonice.

Scabiosæ an. Mj.

Becabunga.

Buglossæ an. M ss.

Flor. Borragin. Bugloss.

Beton. an. P. ij.

Fol. Sennæ el. mund. ℥ vj.

Semin. Anis. Fœnic. an. ℥ ij ss.

Passular. Corinth. ℥ ss.

Decoq. in s. q. aquæ comm. in Colat. lb j.

Dissolve

H S

Hosted by Google

Syrup.

Syrup. Scolopendr.

Fumar. an. ʒ j.

Diacnicu ʒ j. ʒ.

F. Apozema.

Per quatrimum Apozemate hoc usa fuit, singulisque diebus moderatè per alvum deiecit. Eo consumpto instituta à nobis *Vena* brachii sinistri, hinc etiam pedis sinistri, ad malleolum, *sectio*, extractæque quavis vice sanguinis uncia octo.


Hiscæ sic usurpatis, peractisvè, quod sanguinis fluxio ex ore continuaret, molesta valdè ægrotanti, ad operationem Chirurgicam devenire necessarium duximus; quàm ubi aggredi constitutum, *Cauteria* quædam, illius figuræ, cujus additæ delineationes, igni imposuimus, ne, si forsan vasa quædam abscissa sanguinis nimium effunderent, pulvereque nostro styptico usuali adstrictio debita perfici non posset, omni medio sanguinis fluxum sistendi destitueremur. In Tabulâ hæc

A. Manubrium denotat

Cauteriis tribus B. C. D.

Ubi ignita eorum extrema a. b. c. fuerint, applicandum.

Hoc præmissis ægrotantem sedili commode impositam luci, quo ex debito fungum tractare nobis liceret, oppositam, bono animo esse iussimus, brevi molestam hanc carnem nos ablaturos. *Instrumentum* ad ejus extirpationem



convenientissimum nobis videbatur, quod *parte 5. obs. 27.* delineavit *Hildanus*, Tabula addita illud adumbrat; in quâ etiam lit. A fungum exhibet, ut magnitudo figuraque ejus aliquomodo cognosci queat.

Instrumenti hujus ope, celeri manu, ablato fungo, sanguinis, rivulosè admodum, eo imprimis loco, qui denti oculari ac maxillari interjectus, effluentis impetum sistere coacti; hîc multum effecimus pulvere nostro styptico beneficio lintei combusti vulneratæ parti applicato, descriptio ejus hæc est:

Rx. Nuc. Gall. immatur. ʒ ij.


Boli Armen. ʒ ij.

Terra Lemniæ ʒ ij.

Vitriol. Cypr. ʒ ss.

Alumin. Crud. ʒ j.

M. F. Pulv. subtiliss.



Pulveris hujus usus in eo consistebat, ut primò conficiatur mixtura quædam ex *albo ovi conquassato*, & *spiritus Vitrioli guttis* aliquot, huic imponatur linteam combustum, hinc linteo hoc excipiat pulvis, loco vulnerato applicandus, debite & per fasciam externam, & per manum ægrotantis in suo situ detinendus.

Cauteriis in hujus fungi ablatione haud indiguimus. Sequenti die adstringentia hæc vulneri applicata auferri curavimus, eorumvè in locum substituimus *Decoctum Hordei cui aliquid Unguenti Egyptiaci mixtum*, pro collutione usurpandum.

Tandem, ad omnimodam consolidationem, *Mel. Rosar.* præscripsimus, cui *gutta v. aut vi. Spir. Vitrioli* mixtæ, pro linimento.

C A P. XXIX.

De ablatione Uvulæ forfice peractâ.

U Vulæ laxitatem ex decubitu mucosi humoris à capite oriri *Hippocrates* docet l. 2. de morbis.

Affectus hic, per se satis gravis, deterioris sæpius notæ efficitur ab iis, quibus vel morbi, causæque ejus conditio ignota est, vel adhibitorum medicamentorum virtus, qua de materiâ legi possunt quæ *Fabritius Hildanus de Anginâ cap. 5. parte 6. obs. 15. parte 2. obs. 21.* proponit. Hoc faciunt illi qui in uvulæ laxitate & elongatione, accedente illius cum partibus vicinis,

cinis, amygdalis, palato, aliisque, inflammatione ex sanguinis affluxu, medicamentis utuntur summè calidis, qualia solent esse, eo in casu usualia, *piper, zinsiber, sal ustum* similiaque. Quae improbat magnus *Galenus 6. de sanit. tuenda & 6. de comp. med.*

Placet variis in Uvulae prolongatione pilos quosdam verticis sursum attrahere, adeò ut sonitum quendam (quem se audire referunt) edant, sic enim eorum operâ elevari censent pericranium, cujus ex elevatione locum concedi uvulae sibi persuadent.

Uvula hæc non raro ex sanguine & pituita eam ad magnitudinem increscit, imprimis ubi pituita malum producit, ut Nuci juglandi æquiparari queat; Hac de re videri possunt quæ adferunt *Hipp. lib. de affect. Aëtius serm. 8. cap. 41. Hildanus part. 2. obs. 21.* Quod si longe majorem corpulentiam ipsam quandoque assumpsisse dicamus, vera nos proferre scias.

Paulus ab Uchelen, Mercator celebris, vir temperamenti pituitosi, cui tamen cacochymia biliosa aliquomodo accedebat, *Uvula tumore* ex affluxu humorum copiosiore sæpius afficiebatur. Accidit ut ejus magnitudinis evaderet, ut coactus fuerit medicum domesticum, nobiscum, advocare. Primo omnium ad evacuationem humorum biliosorum, pituitosorumque exhibuimus *Purgans* conveniens, imò etiam ad sublationem materiæ p. n. in uvulâ collectæ *gargarismum* hunc.

℞. Fol. Rosar. rubr. Plantag.
 Caudæ equin. an. M j.
 Agrimon.
 Vinæ Pervince an. P. ij.
 Cortic. Granator. 5 j. §.
 Nuc. Gallar. 5 j.
 Flor. Balauft. 3 §.
 Coquantur in aq. puræ & chalyb. an.
 part. equal. ad consumptionem ter-
 tiæ partis.
 Colaturæ ℥ ij. adde
 Syrup. Diamoron.
 Granator. an. 3 ij.
 Ol. Vitrioli gutt. v.
 M. F. Gargarismus.

Collo applicabatur linum præparatum (cila)
 quod ex thure accenso fumum exceperat ; Cer-
 vici imponebantur cucurbitule præmissa scarifi-
 catione debitâ.

Uvulæ admovebatur pulvis sequens cochlea-
 ris commodi ope.


℞. Gallar. immat. 5 j. §.
 Cort. Granator. 5 j.
 Flor. Rosar. rubr.
 Fol. Caudæ equin. an. 3 ij.
 Alum.usti 3 §.
 Terræ Lemniæ 3 j.
 M. C. pulvis subtilissimus.

Instrumenta alia quorum operâ pulvis hic
 aut similis uvulæ applicari queat , qui desiderat,
 inspi-

inspiciat quæ delineari curarunt *Fabr. Hildanus*
 & *Ioannes Schultetus part. 2. cap. 21. Tab. 9. fig. 8.*

commodius licet nobis nullum occurrat cochleari nobis usuali. Medicamentorum dictorum usu, & affectus ipse & tristitia ægrotantis plurimum remiserunt.

Tempore aliquo elapso, convivio cuidam quod adfuisset æger, ex immoderato vini rhenani generosioris usu, subito uvulæ intumescencia ipsum de novo invasit, pituitâ plus justo aucta, humiditatibusque superfluis denegato loco satis capaci, consternatos hæc fecit consanguineos, maximè ubi sine ullo levamine incrementum sumebat enorme, adeò ut gangrænam minari videretur, colorem subnigricantem assu-



mens, qualem uvulam describit *Forestus lib. 15. observ. 5.*

At usu dextro medicamentorum, prægressis magis calidorum, id effecimus, ut, colore purpureo remittente, flavus inductus fuerit, at ex affluxu flavescentis hujus humoris in eam longitudinem increvit uvula, ut supra linguam ad labia ipsa se extenderit, unde & linguæ motus, ipsaque adeò loquela, deglutitio etiam, & respiratio ipsa, ferè fuerint abolitæ.

Symptomata hæc tollere (nostro judicio) impossibile, nisi per *exstirpationem*; hanc quo convenienter institueremus, luci oppositi ægrotantis linguam sinistrâ manu ope glossocatochi depressimus, dextrâ forficem admovimus acutissimum manubrio longiore præditum; videri possunt quæ hac de operatione habet *Aegineta lib. 6. cap. 31.*

Thomas Bartholinus cent. 2. hist. 88. delineationem exhibet instrumenti alicujus pro uvula abscindenda à rustico quodam Norwego *Cannuto Thorberno*, ingenio minimè plebeo excitati, at omnibus aliis, etiam acutissimis, meritò forficem præfero, secutus hac in re magnum *Hier. Fabr. ab Aquapendente, qui part. 1. operat. Chirur. cap. 37.* vossellam *Celsi* rejicit, & forfice uvulam malè constitutam corruptamvè aufert.

Ut redeamus ad ægrotantem nostrum, uvula abscissa exspuebatur, quo factò cochlearis ope applicabatur cataplasma ex linteo tosto (*Tondet*) farina

farinâ volatili, & *Spir. Vitrioli* tantillo, utile ad id ut sanguinis fluxus, qui tamen parcus admodum, inhiberetur. Hinc *Melle Rosaceo* absoluebatur curatio.

Modum hunc uvulam auferendi nil periculi habere certum est, nec est quod cum Chirurgis rerum Chirurgicarum minus peritis sanguinis fluxum metuamus, facillimum enim, cochlearis dicti ope, rei necessitate id exigente, ubi calefactum, minimè ignitum, parti affectæ applicatur, cum sistere, quale quid fieri posse *Hildanus* loco citato docet.

Materiæ huic antequam finem imponamus, in gratiam Chirurgicæ artis cultorum, quibus haud grave fuit observationem hanc perlegere, redhostimenti loco *Medicamentum* aliquod communicare placet, cujus vires insignes experti sumus in non uno, quoties *exulceratio* adfuit *uvulae*, imò ubi *exulcerationi* conjuncta *ulceratio Amygdalarum*, *pharangisque*, siquidem penicelli ope parti affectæ applicetur, præmisso usu gargarismatis ex Decocto Ligni guajacini, *Rad. Salsaparill.* similibusque parati.

℞. *Mell. Rosar.* ʒ ij.

Chelidon. ʒ ss.

Aq. Mercuriall. ʒ ss.

Mercur. præcipit. ʒ ij.

Liquor. Egypt. ʒ ij.

M. F. Litus.

Aqua Mercurialis cujus hîc datur mentio, descripta est à *Carolo Batto Traët. 2. cap. 13.* estque *Aqua Callopii.*

C A P.

C A P. XXX.

D. Nervorum opticorum obstructione, percussione sanata.

COecitatis causam & guttam serenam observamus, & nervorum ab humore pituitoso compressionem.


Andreas Bang, Meklenburgensis, gutta serenâ jam per aliquot annos laboraverat, ad hujus curam varia usurpata fuerant medicamenta, at sine ullo successu; Obambulanti aliquo tempore occurrebat bajulus aliquis, ebrius, trabem humeris gestans, hic incerto gradu procedens trabe hac caput cœci hominis præcutiebat, adeo ut in humum prociderit. Surgens ex Cerebri commotione visum restitutum animadvertit.

C A P. XXXI.

De Setaceo.


ARs, inquit *Guido*, additione perfectior redditur, de utilitate singulari *Setacei* antequam agamus, necessarium omninò, in commodum studiosæ juventutis, hoc loco indicare, *Hildanum parte 1. obs. 40.* nimium laboris sumere, at id ut excitet setaceum; quod idem etiam in *Schulteto armament. Chirurg. Fig. 1. Tab. 39.* culpamus.

Nec placet operandi modus *Aquapendenti part. 1. obs. Chir. cap. 5.* usualis. *Thomas Fienus*



cauteriis utitur actualibus lib. 5. de Cauteriis cap. 14. quod valdè dolorificum, multumque terroris ægrotanti causat. Eodem modo procedit *Marcus Aurelius Severinus* part. 1. de Intopyria.

Rejicit equidem *Hildanus* Cauterium actuale, at quod ejus in locum substituit dolorificum non minus, eò quod graviter pars constringatur.



Non occurrit nobis hactenus instrumentum, quo commodius uti queamus hoc quod hîc delineatum vides, non nisi digitis polliceque hîc indi-

indigemus; Acus est, à cuspide ad medium usque complanata, dorso aliquo modo elevato, latere utroque acuminato; extremo altero, foramine apto, excipit filum, ex variis funiculis fericeis, aliisvè, contortis, moderatæ crassitie, constructum.

Acu dicta filo commodo instructâ ritè præparatâ, loco ad nucham capitis designato, minister Chirurgi digitis duobus anticis manûs dextræ compressam cutem cervicis sursum ducat, ipse verò Chirurgus simili modo manûs sinistræ pollice, anterioribusque digitis duobus sursum, extrorsumvè trahat cutis dictæ partem inferiorem, mox acum, cujus filum unguento basilico inunctum, dextrâ manu, loco eo qui pollicem suum, ministrique interjectus, per elevatam cutem transmittat, brevi hoc perficitur, & sine dolore, modò satis acuta acus fuerit.

C A P. XXXII.

De dilatabilitate extraordinariâ Cutis in viro quodam Hispano.

ANno 1657. in nosocomio nostro, præsentibus viris celeberrimis Dn. Ioanne van Horne, & Dn. Francisco Sylvio, Medicinæ Professoribus in Illustri Academiâ Lugdunobatava, nec non Dn. Guiljelmo Pisone, & Dn. Francisco vander Schagen, Practicis Amstelodamensibus, vidimus juvenem quendam Hispanum, annorum 23, cujus



cujus nomen *Georgius Albes*, qui manu sinistra apprehendebat cutem humeri, mammæque dextræ, eamque ita extendebat, ut ori esset proxima; menti cutem utraque manu primò ducebat deorsum, instar barbæ, ad pectus ipsum, hinc sursum attollebat ad capitis verticem, sic

ut oculum utrumque eâ tegetet. Quamprimum removebat manum, cutis contrahebatur adeò, ut debitam lævitatem reciperet; ad eundem modum etiam deorsum ducebat cutem genu dextri sursumvè, ad ulnæ dimidiæ longitudinem, & hæc in locum naturalem facilè iterum redibat. Consideratione dignum erat, cutem eam quæ regebat dictis locis partes sinistras extendi nullo modo potuisse, firmissime iis adhærentes. Causam cognoscere hætenus non licuit.

C A P. XXXIII.

De Capitis Obstipi curatione.

MUsculi Cervicis, capitis etiam motui inservientes, antèrius posteriùsque collocati, in quatuor classes commodè distribuuntur.

Horum operâ Caput movetur antrorsum, retrorsum, & ad utrumque latus; circa primi, secundivè generis musculos, eorumque actionem quam consentiunt anatomici, ita circa actionem eorum qui sunt posterioris ordinis dissentiunt, ex eo quod firmitatem ipsis nullam, sedemque certam tribuere nequeant.

Adrianus Spigelius lib. 4. Fabr. corp. human. cap. 7. Musculorum cervicem moventium ad latera confusionem admittit, neutiquam eos hætenus diversos loco asserens.

Vopiscus Fortunatus Plempius tract. de Musculis cap. 22. hæc proponit: cervici musculus nullus licet concessus, motui ejus ad latera propriè di-

catus,

catus, sufficienter tamen satis, atque perfecte exercetur idem ab extensore & flexore simul agentibus.

Observamus nihilominus, ad latera claviculæ, musculo caput flectenti, Mastoidæo, qui pectori atque claviculæ, hinc carnosus valdè, processui capitis mastoidæo, nectitur, adhærere fimbriam, latam, tenuem. Vide *Barthol. anat. lib. 4. cap. 5.*

Julius Cæsius Placentinus musculum hunc *mastoidæum* inter musculos caput & collum moventes primi paris musculos habet, cumque ex claviculâ adscendentem circa medium duas in partes dividit.

Fimbriam hanc membranofam ex musculo mastoidæo, descendentem litera A signatam non rarò, induratum adeò, exsiccatum, corrugatamque reprehendimus, ut tendini exaresceto similis videretur. Varia in hoc casu usurpata medicamenta emollientia, formâ *fotus*, *cataplasmatibus*, *emplastri*, *linimenti*, varia itidem *instrumenta Chirurgica*, retrorsum caput extendentia, at nihil successus attulisse visa. Præstantius hîc excogitari medium nullum poterit, quam tendinosam hanc expansionem, usu non medicamentorum corrosivorum, sed forficis acutioris, celeri manu à clavicula, cujus medio lateribusque firmiter cohæret, separare.

Obstipi hujusmodi capitis ad curationem vocatus aliquando, mediis omnis generis plurimis frustra adhibitis, indurati tendinis dissecctio quamprimum fieret author fui, quam curatio-

nis

nis methodum etiam proposuerat ægrotanti, puero 14 annorum, parentibusque. *D. Florianus.*

Operatio hæc Chirurgica convenienter quo institueretur, æger impositus fuit sedeli comodo, fasciarumque aptarum ope debitè eidem alligatus, ministro hinc cuidam, Caput ægri quietum detineret, injunctum; Mox locus secandus tendinis, prominentis, gracilis, indurati, tensi, claviculæ connati à Chirurgo *Dn. Floriano* notatus, similiter ac ille qui arteriæ est carotidis externæ, exterius satis conspicuæ, circa auriculam in musculum temporalem excurrentis, circumspeditione summâ, ne læsio hæmorrhagiam incurabilem inferat, fugiendus. Tandem forcicis acutioris ope tendinis dicti dissectionio ab eodem *Floriano* dexteritate singulari, uno solo impetu, peracta.

Dissectione institutâ, sanguinis fluxio nulla observata, ad cujus tamen suppressionem in promptu nobis erant medicamenta, licet etiam cutis ipsa vulnerata; imò operatione hæc peractâ Caput illicò, cum sonitu, erigebatur.

Hûc facit insignis ea observatio, quam *lib. 4. cap. 58.* proponit magnus *Tulpius*: in cujus fine hæc habentur.

Quisquis verò deinceps ansipiti, ac periculoso huic subjeceris aleæ, ne desperes iterum fieri posse, quæ semel facta sunt. Sed scito tria præcipue vitanda, & primum quidem, ne crustam cuti inturras, utpotè quæ adeò non profuit dolori, ut prius multum nocuerit, cum visui, tum incidenti scalpello.

pellō. Deinde ne improvide secando magis jugules quam cures agrum. Danda ad hæc opera ne iudentidem, ac interpolatis vicibus, sed simul ac semel, attamen cautè, integrum muscū præcidas, in quo potissimum hujus curationis momentum. Quæ certè animadversio, ut Chirurgus ex famâ, sic agra non parum ex usu erit.

Sequitur tabula in qua locus, tendo, & arteria, quam secare periculosum delineantur.



C A P. XXXIV.

*De Cantharidum usu, interno externoque,
bono aequo ac malo.*

Medicamento aliquo in curatione morborum sæpè summè utili siquidem carere cogeretur Chirurgus, *Cantharides* ejusmodi superfluum ipsum habiturum nullus inducor credere, qui ad innumerabilium morborum sublationem summi eas usus esse probè scio, pluri mi licet inveniantur Medici, qui inutiles eas habent, & infectis venenatis annumerant.

Constat nobis, veneni vim hîc esse temperatam, sic ut nec fortissimo eo præditæ sint, nec lenissimo; unicum, hîc considerandum, usus est; quando enim & quomodo usurpari debeant, accuratè discernat Chirurgus, maximo-perè necessarium, minus enim virium habent, quam videntur, & æque tuto usurpari possunt ac Arsenicum, Sublimatum, Realgar, Antimonium, variis modis purificata, alterata, præparata.

Unumquodque venenum determinatam corporis partem respicit, quam afficit, si fides habenda sententiæ communiori. *Cantharides* nullam partem magis alterare vesicâ urinariâ, experientia quotidiana docet, videatur *Galenus 4. de rat. vict. 122. Eustach. Rudius, Archigenes, Aëtius de re med. lib. 6. cap. 20.*

Paræus gradu quarto venenatas eas dicit, nec tamen

tamen rejici vult, sed cum circumspeditione usurpandas. Exempla lib. 6. cap. 20. & lib. 3. c. 12. adfert.

Bartholomæus Cabrolus Anatomicus *Mons-peliensis* observationem singularem huc facientem adfert his verbis: *Avenionem* evocatus ut quendam majorem in femore sclopeto ictum curarem, una cum *Joberto*, *Guillemeo*, & aliis, è diverticulo, ad hominem enormi laborantem satyriasi visendum accessimus. Res ita habet: Laborat quartanâ ager, in qua profligandâ strigæ auxilium petierat, quæ illi poculum ex 3 j. seminis urticarum, *Cantharidum* 3 ij. ses qui drachma caparum, aliisque concinnarat: hinc ita exarsit in venerem, ut uxor ejus per omnia sacra dejeraret se ab *binotio octuagies-septies* initam, interea sæpius in lectum semen effudisse, imo nobis adstantibus brevi momento ter se polluit, pedem lecti pro fœminâ subagitant. Hinc in stuporem versi, quidquid fieri potuit remedium adhibuimus, sed ipse paulo post libitinariis, pollinctoribusque cessit: huic affine retulit mihi *Dominus Chauvet* *avenionensis* Doctor. Agebat ille annis abhinc 32 evocatum se *Gaderonsam*, ad hominem eadem satyriasi correptum, & limine domus obviam fit uxor de præposterâ libidine, rarum in mulieribus querela genus, mariti expostulans, quadragies illum unâ nocte horum suum fodisse, simul laceram nimio affrictu ostendebat vulvam: remediumque dolori juxta ac colori querebat. Simili potione malum ager contraxerat, quam præbuerat mulier *xenodochio*

ancillans, tertianæ arcenda, quâ hic in tantam amentiam versus fuerat, ut catenis, obsessi instar ligandus fuerit. Aderat cum Domino Chavvello sacerdos, qui cum verbis solari hominem vellet, rogabat uti se deliciis istis immori sineret. Fæmine eum linteo, ocycrato immerso, cinxere: manè mortuus hianti ore, membroque gangræna corrupto inventus ridenti similis est, rictu quem sardonium vocant.

Hildanus symptoma grave proponit parte 6. obs. 99. quod supervenit alicui post usum duodecim Cantharidum. Circa mediam enim noctem exorti dolores atrocissimi ventriculi, ventris, renum, imo totius corporis, sanguisque summo cum dolore excretus. Summo manè vocati Medici proximus vomitorium ex copiosâ aqua tepidâ ac Oleo Amygdalarum dulcium exhibuerunt, in eum finem, ut siquid veneni in ventriculo superesset, per superiora evacuetur. Post vomitum Enema lenitivum, cui Oleum Violarum, Amygdalarum dulcium, & Butyrum recens in copiâ admixtum erat exhibuerunt: illudque eadem die sub vesperam, uti & sequenti die, reiterarunt, ut videlicet venenum, in intestinis contentum, per inferiora extraherent. Carpis epithema cordiale applicarunt, renes vero & hypochondrium dextrum Oleo Rosaceo, Nymphææ, & Butyro recentissimo, simul mixtis inunxerunt. Per os lac vacinium recens emulctum cui nonnihil Olei Amygdalarum dulcium ad miscebatur copiose propinarunt: bis quoque in die portunculam ex

Theriaca, Confec. Alkermes & Cornu Cervi cum Aquis cordialibus exhibuerunt. Hisce adhibitis remediis & optimâ victus ratione observatâ, intra paucos dies feliciter restitutus fuit ager, & ad multos annos incolumis supervixit.

Medicus aliquis, quem certâ de causâ nominare nolo, puerperæ cuidam paucorum dierum femorum intumescentiâ ferosâ (forfan ex partus difficultate) laboranti, cantharides applicari voluit, loco inguini proximo; hoc efficere recusabam, quia Vesica urinaria, in partu non parum læsa, loco huic ubi Cantharides applicandæ, connexa, similiter ac partes variæ aliæ, ab iis facili negotio alterarentur, læderenturvè. Improbasse nos ea quæ proposuerat Medicus videns Chirurgum advocari curavit juniorem, qui voluntati Medici satisfacere studens stranguariam gravem cum ardore summo puerperæ, sibi verò, nec non Medico ipsi, infamiam maximam, causavit.

Vidimus quid noxæ corporis humani partibus Cantharides adferre queant, videamus *quid utilitatis iis insit.*

Hildanus part. 6. obs. 98. fermenti uncix semis Cantharides sex cum aqua Betonice misceri vult, & vesicatorium hoc summi usus habet, post aures applicandum, quoties humorum fluxus ad oculos, nares, fauces, pectus, aliasque partes sistendus.

Mixtura simili partes affectas varias, quarum dolorem quærelæ ægrotantium magis, quam
 Hosted by Google
 exter-

externæ intumescentiæ , inflammationesvè , notificabant , ab excedente dolore liberavimus.

Servus cujusdam diu multumque laboraverat dolore immani pedis dextri ad tibiam , sine rubedine aut intumescentiâ aliquâ , varia à variis proposita adhibita media ; quæcunque usurpabantur *Cataplasmata*, *Emplastra*, *Linimenta*, levaminis nil adferebant, imò nec potionibus *Anodynis*, nec pillulis somniferis , tantum fuit virium , ut ad quadrantem horæ quietem inducere potuerint.

Tandem in consilium adductus ego , post varia frustra usurpata , *Vesicatorium* ex fermento & *Cantharidibus* parti dolenti applicavimus, hujus ope brevi vesica excitata ingens satis , & cum eâ dolor omnis ablati.

Parens meus dolore pedum , molesto valdè , sæpius affligebatur , exterius nihil occurrebat, varia sine levamine usurpata erant media. Dolor hic cum aliquando causa esset cur dies noctesque plurimos insomnes duceret , concedente *Celeberr. Viro Dn. Vopisco Fortunato Plenzio nunc in Academia Lovaniensi Medicinæ Professore*, vesicatorium usuale parti dolenti imposuimus, cujus usum & doloris remissio secuta.

Prolixum nimis foret utilitatis summæ vesicatorii dicti exempla ea proponere , quæ praxis quotidiana exhibet , ubi dolore gravi afficiuntur femora , genua &c.

Interne *Cantharides* summo cum successu usurpari possunt in gonorrhœâ inveteratâ , ve-

nere

nere contractâ, imò & Ischuriâ ex obstructione viarum urinarum, ab arenâ, aut calculis.

Gonorrhœam diuturnam malignamque qui curare studet, haud alio indiget medio, quam quod, præmissa universali totius corporis purgatione, hinc eorum quæ circa renes partesque vicinas hærent, quantitas ea mixturæ sequentis, ex Cantharidibus paratæ, exhibentur, quæ cochleari duplici contineri potest.

Totum corpus quibus Pharmacis purgari queat, & debeat, suis locis declaratur, renum partiumque vicinarum reperationem inter alia expectare licet ab usu hujus boli, maximè si biliosæ naturæ æger fuerit:

℞. Pulp. Cassiæ recent. ʒ ij.

Thereb. venet. in aq. plantag. lota ʒ j.

Ocul. cancri præp. ʒ ij.

M. F. Bolus.

Fructum haud minorem Cantharidum usus dictus attulit, ubi renes, ureteres, aliæque urinaræ viæ puitâ, humore limoso, arenulisvè angustatæ, modò ulteriorem promotionem iis concedere viæ dictæ partesvè valeant.

Joannes Boor, mercator hujus loci celebris, dolore gravissimo, intermittente, circa lumbos, affligebatur; ex abundantia arenularum, multos hinc & dies & noctes, sine cibo, sine somno, variè agitatus, transigere coactus. Contigit aliquando dolori intolerabili accedere ardorem,

rem, stranguriamque, hinc Ischuriam, sic ut decem dierum spatio ne guttam urinæ emitteret. Nihil hîc omissum eorum, quæ & haberi poterant, & fructuosa videbantur, potiones diureticæ, linimenta, femicupia, aliaque hûc facientia. Nihil effecerunt quæcunque etiam intus extusve usurparentur; Delirium, somnolentiaque supervenientia malum, aggravabant.

Coacti adeoque extremo in casu ea usurpare, quæ *oper. Chirurg. parte 1. c. 58.* describit *Hier. Fabr. ab Aquapendente*, sæpiusque cum successu se usurpasse asserit;

R. Unam, aut duas, aut tres, aut ad summum quatuor Cantharides, integras, cum alis & pedibus, in pollinem reduetas, cum milio solis & polio montano ad ℥ ij. misce, cum Syr. de duabus radicibus, ut fiat Bolus, assumendus, mox usurpentur lactis seminum melonum extracti cum aqua ex thecis fabarum ℥ iv. aut v. ut erosio Cantharidum inhibeatur.

Ex consilio Medici summi *Dn. Francisci de Vicq*, qui rationibus variis eo deducere ægrotantem laboraverat, ut arenulas, calculumvè haud hære in ureteribus, sed rene ipso crederet, medicamenti adductis usus est æger, sic tamen ut non nisi Cantharides tres adsumptæ fuerint, corporis viriumque statu majorem quantitatem non

con-

concedente; &, Deo favente, brevi secuta urinae excretio, & cum eâ calculorum duorum huius Figuræ



Post usum horum medicamentorum, & ablationem nephriticorum dolorum relinquebatur hoc incommodum, quod sæpius molestaret seminis excretio, ex quo constat quid commodi sperare ex eorum usu habeant illi qui gonorrhæa impurâ, continuâ, vexantur, haud enim omittunt materiam corruptam ad evacuationem promovere. At siquidem hanc excretionem stranguria quædam, (ut ferè fit) comitaretur, nihil est utilius quam potus continuus amygdalati, aut lactis vaccini vel ovilli, quo symptomata dicta omnia mitigari solent.

C A P. XXV.

De exulceratione & vulnere Cordis.

COR, *Aristotele* authore, fons vitæ, corporis pars præcipua, etiam impetus, spirituales æque ac corporeos sustinere valens, nunquam in homine aut animali alio absens, nullam patitur continui solutionem.

Non minoris Cor habetur *Hippocrati* sect. 6. aphor. 18. quod confirmat *Galenus* 5. de locis affect. inquit: Cor nullam fert continuitatis separationem.

Veteres aphorismum hunc vulnere Cordis applicarunt, ex eo quod cognoscerent structu-

ram ejus miraculosam, motum continuum, vires summas, officia necessaria, imprimis situm valdè remotum adeò ut medicamentis id attingere, curareque impossibile.

Ovidius observationem hanc respexisse videtur, dum *I. de Ponto* 4. hoc modo canit :

*Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas
Sanabit nulla vulnere Cordis ope.*

Dicto nihilominus Aristotelico contradicere videtur *Tilesius rerum naturalium lib. 5. cap. 28.* adducendo exemplum alicujus viri diuturno nostro emaciati, in cujus post mortem aperti thorace Cor nullum, sed solum pericardium reperi-
tum.

*Non aliter dicta Hippocratis intelligit Holle-
rius lib. 6. com. in aphor. Hipp. (quod & multo-
rum, tum antiquorum, tum modernorum scrip-
torum judicium est) quam ac si cor neque intror-
sum neque extrorsum penitus pati nil possit; Nar-
rat insuper lapillos duos, ac varios puris tumores
in foemina cujusdam corde observasse.*

*Columbus lib. 15. de re anat. in Corde ulcera,
tumoresque duriores, imprimis ventriculo si-
nistro, observasse se refert. Ultimum hoc in
Cardinale Gambara notatum scribit.*

*Thomas Bartholinus cent. 2. obs. 45. ex corde
Urbani octavi Pontificis maximi calculum trian-
gularem extractum tradit.*

Audiamus quæ ad confirmationem dictorum

Medi-

Medicus regiùs Joàn. Fernelius lib. 5. de morb. partic. & sympt. proponit, cujus verba magni habuerunt plurimi. Cor (dicit) morbi omne genus obsidet, maximè vero simplex intemperies, phlegmone, erysipelas, omnisque præter naturam tumor, ulcus quoque ac vulnus: sed hæc sanè rarius, imo vulnèra Cordi inflicta, quæ non alte in ventriculos penetrant, non protinus interimunt: in quodam qui sensim extabescens è medio sublatus tandem tria ulcera in corde reperi, non parum cavæ & sordida, multo ante jam tempore contracta.

Lazarus Riverius cent. 1. obs. 87. in dissecto cadavere filioli alicujus 14 annorum invenisse scribit, præter alia, cor albicans, & media fere sui parte, quæ diaphragma respicit exesum atque exulceratum, ut fibræ carnosæ semiputridæ summis digitis avellerentur; & talia frustula carnea hujusmodi febris simillima cum sanguine per sputum rejecta fuisse.

Barthol. Cabrolus dogmata excellentia magni Fernelii confirmat hac relatione, obs. anat. 26. ipse ego, inquit, præsentè Rondeletio duo mirabilia satis in duobus cadaveribus exhibui: primo in basi cordis ad coronariam cicatricem, duos latos digitos longam, secundo, eodem loco, ulcus latitudine folii mystici, sat profundum.

Fabr. Hildanus part. 2. obs. 27. in Corde adhuc vivente corruptionem notavit non levem.

Plura huc facientiâ, Cor nempe unitatis solutioni etiam subjectum esse, qui scire desiderat, legere poterit quæ habent Amatus Lusita-

mus cent. 6. 68. Cornel. Gemma lib. 1. cap. 6. Felix Platerus in obs. anat. Nic. Tulpius obs. lib. 2. cap. 18. Marcus Aurel. Severinus de abscess. cap. 38. Thomas Barthol. cent. 6. obs. 46. aliique varii.

Cor morbis variis gravioribus revera affici posse, observatione duplici, à nobis notatâ, illustrabimus.

Anno 1651. 26 mensis Maii cum *Cornelio Kerchem*, Chirurgo civitatis hujus ordinario, ex mandato Ampliss. Magistratûs, aperuimus cadaver *Ottonis Christenii*, interfecti. Hujus in Thorace (præter alia ad quorum explorationem missi eramus) invenimus Cor ulcere exedente profundo circa auriculam dextram affectum.

Morbo hoc jam à longo tempore defunctum laborasse, indicare videbatur frequens ipsi dum in vivis erat animi defectio, quam observasse se referebant domestici, huic exemplum simile in discipulo suo Romæ à se dissecto observasse se scribit *Reald. Columb. de re anat. lib. 15*. Ante mortem rariora fuerunt animi deliquia, forsan quod corrosio cordis minor, observabamus etenim ulceris labia augmentum sumpsisse, quoties multiplicarentur lypothymia.

Anno 1655. 26 mensis Aprilis præsentibus Medicis clarissimis *Dn. Samuele Costero*, & *Dn. Joanne Deimanno*, nec non *Dn. Daniele Floriano*, Chirurgo, jussu Magistratûs nostri, in valedudinario publico aperuimus cadaver *Joannis Roeloffsen*, ex vulnere demortui. In cavitatis pecto-

pectoris parte finistrâ aquæ acrioris tenuiorisque copiam insignem reperiēbamus, unde capsula cordis, tunica ejus, imò ipsa substantia, corrugata adeò, ut pyro æstu ignis exsiccato simile Cor appareret. Hujus conditionis Cor in *Casemiro Comite Brandenburgensi* repertum narrat *Philip. Melanthon lib. 1. de animâ.*

Cabrolii, Fernelique sententiam, posse nempe Cordi supervenire continui solutiones, quæ tamen subitanæ mortis causa haud sint, & scriptorum variorum testimoniis, & observatione propriâ admirandâ confirmabimus, hoc tamen antequam efficere aggrediamur, permittas precor, benevole Lector, unicum hoc hîc addamus, Morbos scil. cordis absolutè non esse lethales, adeoque, quoties propria cordis substantia constitutione aliqua præter naturali afficitur, æque sollicitos debere esse medicos Chirurgosvè ac in morbis hepatis, cerebrivè, neque negligenda esse media quæ in aliarum partium morbis similibus ex usu fuerunt.

Mediis ex debito in Cordis affectibus usurpatis, ægroque eorum opera sic restituto, quid obstabit, quo minus in ejusmodi hominibus postea demortuis, atque apertis, cicatrices, morborum quibus, dum in vivis erat homo, Cor obnoxium fuerat, indices, reperiamus, quales *Cabrolius* supra citatus observavit.

Sed mittamus hæc, usque dum quæ *Cabrolius* proposuit, alii magis confirment, quæ enim cadavera terræ mandantur eorum qui Cordis morbis

morbis fuerunt obnoxii, neutiquam aperta, nihil ad confirmationem, vel destructionem doctrinæ, conferre poterunt.

Vulnera cordis, ab externo aliquo illata, (quæ nunquam curata vidi) licet ejus conditionis vulgò habeantur, imò etiam revera sint, (quod vel vices pluriesvè observavi) quæ subito hominem, aut animal è medio tollant,

Occurrunt tamen exempla eorum, qui Corde vulnerato ad dies aliquot Supervixere; imò *Galenus* 5. *de locis affect. cap. 2.* Vulnere Cordis ad ventriculòs haud penetrante, sed in solâ tunicâ desinente, hominem ad horas viginti quatuor vivere posse, scribit.

Chirurgus *Regius Ambros. Paræus* l. 9. c. 30. hæc habet: *Vidi dum Taurinos agerem nobilem quendam, qui singulari certamine cum alio decertans accepto sub sinistrâ mammâ vulnere in cordis substantiam penetrante, vibratis in adversarium aliquot ense ictibus ipsum fugitantem ad ducentos passus est prosequutus, donec in terram mortuus caderet, dissecto cadavere vulnus comperi in cordis substantia amplitudine quæ digitum capere posset, ingentem præterea sanguinis in diaphragma affusi copiam.*

Amplissimus Consul *Nic. Tulpius* l. 2. obs. 18. hæc proponit: *Extra portam nobiscum ivère plurimi Medici, spectatum cadaver cujusdam hominis interempti a duobus vulneribus, penetrante altero, per hepar ac ventriculum in septum transversum; altero vero per membranas mediastinæ,*

& involucrium cordis in profundissimum ventriculi dextri recessum, cum tam effusa sanguinis copia, ut illi undiquaque innataret nobilissimum hoc viscus: quod tamen fuit adeo calidum, ut extenderit huic homini vitam usque in finem diei secundi.

Thomas Bartholinus cent. 1. obs. 77. historiam seq. exhibet. Juvenis petulans nauclerum alioquin amicum domesticis œnopolæ negotiis districtum cultro transfixit inter tertiam & quartam costam sinistram, vulnus sub sterno ad cordis penetravit ventriculum dextrum, ut aperto post mortem cadavere patuit foramine angusto & obliquo. Læsus tamen non solum ex suburbio domum pedibus ivit, sed per quinque dies supervixit.

Nicolaus Mullerus tabulam suspendit in curia Groningensi, historiam continentem militis alicujus, qui, vulnerato corde, ad dies quindecim in vivis mansit.

Adductis etiam nostram addemus observationem; Ambrosius Coenradi, bajulus, vir dissolutæ vitæ, ebrius, præmissâ altercatione gravi, vulneratura nautâ quodam sub musculo pectorali sinistro, cum cartilaginum costæ quartæ & quintæ dissectione, vulnere in Thoracis cavitatem penetrante.


Die sequenti, qui octavus Novembris anni 1654. jussu Magistratûs nostri cum Abrahamo Snyter, Chirurgus vulnerati Ordinario, accessimus decumbentem, in quo pulsum notabamus tardum, debilem, sudorem frigidum, difficilli-

simam respirationem. Et in hoc, desperato fanè, statu, permanfit ad diem hujus mensis decimum tertium, qui lethalis ipsi fuit, postquam plus quam sex dies vulneratus decubuiſſet.

Thorace, post mortem, aperto, pulmonem firmissime undique pleuræ, imprimis verò pericardio, febrillarum, ligamentorumque ope, connexum reperimus.

Pericardio nulla continebatur aqua; arcta tamen ipsi cum corde, beneficio filamentorum latorum planorumque, cohærentia, sic ut à corde id separare difficillimum nobis.

Corde undique soluto vulnus se exhibuit, profunditatem digiti transversî, latitudinem pollicis habens, circa septum, ad mucronem; ut ex figura additâ constat.



A. Nerv.

- A. *Nervus sexti paris.*
- B. *Arteria aorta ex corde ascendens.*
- C. *Ejus arteria carotis.*
- D. *Vulnus cordis.*
- E. *Mucro cordis.*
- F. *Vena cava Diaphragma accedens.*
- G. - - - - *ascendens.*
- H. H. H. *Cor ipsum.*
- I. *Auriculo cordis sinistra.*

Observationi huic antequam finem imponamus, considerandum offero, annon causæ fati adfuerit in nostro vulnerato, ob quam diutius aliis vixerit, profundiora enim aliorum vulnera fuere.

Imò haud inutile judicamus eidem addere eam quam *Philibertus Saracenus* literis ad *Fabr. Hildanum* datis part. 4. obs. 32. proponit, quo ex utriusque collatione huc facientia varia Chirurgiæ cultori innotescant: *Ne solus a symbolis sim, nihilque quod centuriis tuis accenseri possit, conferam, en habe observationem raram, ac prorsus admirandam. Decessit nuper post puerperii labores Illustr. D. D. Halincourt proregis in Gallia Lugdunensi conjux, cujus rimato cadavere cordis illud involucrum quod pericardium dicitur, cordi ipsi adhaesisse, humoreque illo naturæ providentia ad ejus irrigationem & refrigerium instituto, vacuum fuisse repertum est. Res stupenda profecto, & nemini antea, quod sciam, observata, persensit sane illa ex humoris istius inopia evidentiâ*

incom-

incommoda. Nam aestuans perpetuo aërem captabat frigidum, siti molesta torquebatur, ne tenuissimi etiam tegumenti patiens pectus nudabat, quin etiam a fervidiore corde concalescentis pulmonibus, in eorum bronchia attractis atque extorrefactis humoribus, difficili respiratione laborabat, quæ symptomata nulli alii causæ potius quam pericardii acciditatis imputanda sunt.

Quæ in Matronâ hâc, etiam in bajulo nostro observata, vivens & hic avidè desiderabat aërem, potumvè frigidiorē, die nocteque nudus ferè incedebat.

Quæ causa, quod diutius aliis vulneratus hic in vivis fuerit, ut constare queat, *operatio cordis* legitimè consideranda; triplex hæc, *Systole* S. contractio, *Diastole* S. dilatatio, & *Perisystole* f. quies.

In *systole* Cordis mucro accedit ad basin, latera verò extenduntur causâ expellente longitudinem in latitudinem mutante, eò quod basis cordis immobilis, mucro autem libera, nulli corpori nexa.

In *Dyastole* latera flaccescunt, ventriculi ampliantur, recipitur sanguis ex vasis venosis utroque latere Cor intrantibus.

In *quiete* mucro recedit à basi, & in quibusdam basis à mucrone, hinc etiam partes internæ externæque ad costas accedunt.

Systole perficitur quoties auriculæ cordis sanguine repletæ eum sua constrictione in ventriculū Cordis expulerunt.

In *Dyastole* sanguinis peragitur receptio ex venâ cavâ, & vena arteriosa.

Operationibus hisce ritè consideratis, quam facile (nostro iudicio) cognoscere, cum cordis & pericardii in vulnerato nostro arcta fuerit connexio, etiam systolen atque diastolen ritè perfici haud potuisse, undè spiritus & sanguinis in hâc officinâ diutius justo hærere coacti, imò ne quidem per vulnus ejecti. Et hanc causam suspicamur cur diutius noster vixerit aliis similiter vulneratis.

Plura huc facientia, Cordis nempè motum varium atque actiones diversas explicantia, qui desiderat, legat *libellum de motu cordis Cl. Guilj. Harvei*, & quæ habet *Renatus des Cartes*. De Cordis affectibus mirabilibus etiam scripsit *Albertinus Cæsenatis*.

C A P: XXXVI.

De Osse maxillæ Rhombi piscis ex intestino viri alicujus extracto.

Jacobus Foosten, vir mediæ ætatis, dolore, sensum aucto, afficiebatur circa intestini recti extremum, cum suppressione alvi, & febris gravissimâ, pluribus, hinc inde ministratis, frustra usurpatis, quod hæmorrhoidibus internis ipsum vexari persuasissent alii, nos advocari voluit.

Accedentes in parte ipsa, quam doloris summi subiectum dicebat, nec inflammationis, nec

tumo-

tumoris indicia ulla observabamus; ne, in re licet incerta, nihil egisse videremur, linimentum hoc præscripsimus.

℞. Ung. Popul.

Rosar. an. ℥ ℥.

Ol. Rapar. ℥ j.

M. F. Linimentum.

Nihil hujus usu effecimus; quod excretio alvina tarda valdè atque molesta, imò materia purulentæ, cui sanguinis plurimum commixtum, hoc *Enema* injici curavimus, ad doloris mitigationem valdè conveniens.

℞. Decoct. emollient. ℥ ix.

Ol. Mucag.

Amygd. dulc. an. ℥ j.

Ung. popul.

Mell. Rosar. an. ℥ j.

M. F. Clyster.

Podici applicatum hoc Cataplasma.

℞. Mice panis albi.

Farinae hord. an. ℥ ij.

Mucag. cidon. ℥ j.

Ung. popul. ℥ ℥.

Croci Britan. gr. xxij.

Vitell. ovi n. j.

M. F. Cataplasma.

Tantum hæc profuerunt, quantum profuissent siquidem pulvinari fuissent applicata; Febris interim, dolor, vigilæque, hinc quærelæ, magis magisque increſcebant. Pharmacopœi ſervus qui applicaverat Enema, aliquod corpus durum occuſſiſſe ſibi, ubi fiſtulam arte impo-
ne laborabat, per quam injiciendus Clyſter, referebat; hoc audito neceſſarium duximus digi-
to in anum immiſſo an aliquid loco eo hæreret aut præternaturalis quædam conſtitutio intelli-
gi recti aſſeſſet, explorare; quamprimum digi-
tus in anum immiſſus occurrebat ſubſtantia illa dura, cujus mentionem fecerat pharmacopœus, hæc extracta mandibula erat piſcis illius quem belgæ vocant een ſchol, bronchi ſub branchiis hærens; eam ante octiduum ſe avidius piſces tales comendentem degluſiſſe, ante actorum jam memor, referebat æger, imò cum dolore ventriculi, inteſtinorumque geſtaſſe.

Ablato hoc officulo (quæ ablatio non ſine dolore peragebatur, eo quod tranſverſum non ſolum ſitum obtineret, ſed & utrinque lateribus inteſtini firmiter inhæreret, unde ſymptomata dicta exorta) illicò ſymptomata omnia remiſerunt, febris ſcilicet, dolor, excretionis alvi-
næ ſuppreſſio, vigilæ continuæ, ſomnus econtra inductus placidus.

Parti affectæ applicavimus turundam melle roſaceo cui Aloës aliquid mixtum, inunctam. Et integrè convaluit.

Offis extracti ea erat & figura & magnitudo,



quæ hâc tabula exhibetur, similis ferè casus occurrit aliquando Medico hujus loci celeberrimo *Dn. Arnoldo Tholinx*, nisi quod hîc intestini recti circa plicaturam exulceratio accederet, & Chirurgus frustulatim, duas scilicet in partes forficis ope divisum ossiculum, extrahere coactus fuerit.

Gravius obvenit ægrotanti illi, qui, referente nobis Collega nostro *Dn. Daniele Floriano*, curæ *Rogerii Bernardi olim Nosocomii Chirurgi Ordinarii* subfuit, in quo ossiculum simile, gravissimo cum dolore, per lumborum inferiora, ulcere intercedente magno, prodibat.

C A P. XXXVII.

De Veneficio falso.

FAmiliare hoc Medicis variis, nostri imprimis ævi, junioribus, quoties morbus aliquis occurrit hominibus haud ordinarius, medicis ejusmodi ignotus, eum annumerare iis, qui novi omninò haberi debent; Vanæ suæ sententiæ ad probationem verba hæc *Aureliani de morb. acutis* adducunt: *Per flagitia homo indies non solum multiplices ac varios, verum etiam novos & hætenus incognitos morbos incurrit. Etenim, ut quidam merito ait; dissolutus vivenditus, copiosam novis afflictionibus attrahendis, materiam subministrat, atque ingentem consuetarum agritudinum congeriem adsciscit.*

Verum equidem, morbos eos, quos in *Angliâ*, imprimis *Londini* grassasse legimus, anno 1486. 1493. & 1659. *Anglicos, Londinenses* vè vocatos novos omninò fuisse, inauditos, nec ab ullo Medicorum descriptos; multos tamen nobis occurrere certum est, qui, etiam si nec descripti, nec in *Academiis* declarati, novi revera haud sunt, solis iis qui rarius occurrunt, annumerandi. Hujus generis lethalis *Gule tumor*, cujus meminit *Ampliff. Nicolaus Tulpinus observ. med. lib. I. cap. 44.* qui viduæ cujusdam naupigipaulatim succrevit, firmiter infidens lateri asperæ arteriæ paulum supra jugulum. Hinc impediri evidenter spiritus, & tandem tanto pe-

re deglutiones, necessarium; ut propter summum tumoris incrementum, vix quicquam amplius transmiserit gula, nisi fortè exiguas aliquas lactis vaccini guttulas, quarum ope nequaquam restaurarentur debitè vires majoris opis indigæ, emarcuit necessariò corpus, & excessit ipsa, non invita, è vita.

Ventriculi orificio superiore angustato nutritionem aboleri, *Riolanus* docet *Metb. med. sect. 3. cap. de Ventriculo*, confirmatur hoc exemplo tumoris ejus quo laborasse Reverendum *Dn. Joannem Chrisnerum* Experientissimus *Dn. Hildanus* refert.

Diever Jans, nautæ cujusdam uxor, temperamenti frigidioris, sicciorisque ex destillatione catharrofa, eaque frigida, tumorem contraxit ad venam jugularem, circa asperæ arteriæ principium. Primò mollis omninò observabatur, planusvè, hinc figuræ teretis, durusque, imò sensim, quæcunque etiam adhiberentur media, osseam constitutionem adsumpsit, validè vicinis connexus, adeò ut, respiratione æque ac deglutione impeditis, nil nisi mortem expectaret ægra.

Molestum præter hunc affectum, persuadebat sibi ægrotans aliorum relationibus plus justo fidei tribuens, exhibitam fuisse à lamia quadam castaneam, eamque comestam circa orificium ventriculi adhuc harere, undè respirandi, deglutien-lique difficultas, adeoque auferri eam debere vel per benedictionem à lamia ipsâ insti-

tutam,

tutam, vel per apertionem post mortem à Chirurgo perficiendam.

Defuncti cadaver, præsentibus *Dn. à Leenwen Medico, Bernardo Heems, & Gijsberto Kalloen*, Chirurgis, aperuimus; cute circa collum dissectâ tumor illicò se exhibuit, cartilagineus omninò, filamentorum plurimorum ope musculis cervicis deorsum trahentibus connexus, supra venam jugularem, ad laryngum, nullam in partem moveri poterat & aëri alimento potentissimè viam in totum præcludens, arte nulla, medicâ, Chirurgicavè auferendus.

C A P. XXXVIII.

De Arteriotomiâ.

INter omnes partium dissectiones, ad quas sæpius non nisi consternati accedunt Chirurgus, æque ac ægrotus, non minimæ considerationis Arteriotomia, seu arteriæ sectio, opus sanè medicum summæ utilitatis, necessitatissimè.

Arteriotomia hæc frequenter institueretur, nisi Aneurismatis supervenientis metus impediret, imò sanguinis fluxum sistere grave admodum.

In gratiam Medici, Chirurgi, ægrotantisquè, placuit nobis *Ligamentum* aliquod hîc describere, cujus usus singularis in sanguinis per arteriotomiam effluentis suppressione, imò &, ne aneurisma exoriatur inhibitione.

Arteriam temporalem ubi aperiendi animus;

ordinarium nobis fuit, ægrum (modò debilitas haud impediret) sedili infidentem luci clariori obversum constituere, hinc locum arteriæ secandæ, ex pulsu notatum, circa auriculam, vel etiam muscoli temporalis marginem, atramento designare, tandem lintei cujusdam apti ope collum, ab ipso ægrotante, si possibile, constringi curavimus, imò caput ægri à ministro quodam quietum detineri, quo lanceolæ acutioris opera arteriæ notatæ legitima dissectio institui queat.

Sanguine sufficienti copiâ extracto, quod sæpius non nisi longo perficiebatur tempore, stilitatimque, sic ut chartam luforiam ipsi supposuerim non rarò, spongiâ aptâ, frigidâ repletâ, mundificatio instituebatur, labiorumque vulneris ope pollicis & digiti alicujus compressio, mox *Emplastrum de Mastiche* ad magnitudinem solidi calidè loco vulnerato imponebatur. Huic, ex doctrina *Thomæ Fieni*, quæ habetur *lib. de arteriotomiâ 8. cap. 6.* splenia varia ex linteis variè complicatis parata, ad repletionem locorum excavatorum, compressionemque arteriæ, applicabantur, ne, benè id exigente *Celfo*, vacuitas quædam circa partem læsam exoriatur, sicque occasio præbeatur sanguinis uberiori affluxui, aërisque ac spirituum collectioni, unde Rupturæ aut Tumores producerentur.

Omnibus his superinjiciebamus *fasciam* longitudinis octo aut novem ulnarum, latitudinis

dimidii digiti; hanc utroque extremo convolutam arcte circa splenia dicta constrinximus, primò factâ circumvolutione circa fasciæ medium hinc nodorum variorum interventu.



Deligatio hæc ad biduum quietâ detinebatur, non enim auricula aut alia aliqua pars hîc molestabatur; die tertio, quo liberius caput moveri queat, eam solvimus aliquomodo, relicto Emplastro.

Arteriotomiam hanc vel duodecies ad modum præscriptum instituimus, nunquam sine successu optato, nisi quod in ancillâ quadam *Nicolai Berkman*s, Medici, diu, multumque Hemicraniâ, oculorumque lachrymatione vexatâ, eo quod fascias altero die ab arteriotomiâ institutâ tempore, abjecerit, negotia domesti-

ca tractans, Aneurisma secutum fuerit, quod tamen brevi tempore, fasciatione prægressa iteratâ, integrè sublatum.

Horatius Augenius libro de sanguinis missione cap. 12. Arteriotomiam hanc multis modis improbat: nunquam enim observare se potuisse arteriam sectam ex debito fuisse conglutinatam, profitetur, propterea suo iudicio multò satius esse ab hoc opere desistere, quam temerario ausu aggredi.

Augenio huic sese opponit *Marcus Aurelius Severinus part. 2. Chirurgia efficacia* ubi variis capitibus quanta Arteriotomiæ utilitas sit edocet, imo corporis nostri partes varias in quibus cum commodo institui queat & debeat proponit.

Ambrosius Paræus lib. 16. cap. 4. Plurimis inquit suspecta est arteriotomia quod prorumpentem inde sanguinem sistere, quod cicatricem obducere sit operosum, propter arteriæ densitatem, duritatem, & pulsationis perennitatem, quod denique cicatrix obducta aneurismatis periculum inferat. Itaque satius esse putat, cutem primò dividere, deinde à circumstantibus omnibus particulis divellere, inde utrinque arteriam vincire, denique dividere, quemadmodum in varicibus faciendum monuimus. Sed hæc opinio hominum est omniatuta timentium: ego enim multiplici didici experientia non esse periculosam arteriæ quæ scalpello fit, quemadmodum in Phlebotomia fieri solet, apertionem; consolidationem vero paulo quidem vena tardiores esse, tandem tamen fieri.

Jacobus Guilemeau lib. 6. Operat. Chirurg. cap. 5. Arteriam secandi modum accurate adeò describit, ut facillimum omninò fit eam instituere; imò certo asserere se posse addit nunquam ex arteriotomiâ legitime instituta aliquod periculum supervenisse, à se notatum.

Prosper Alpina libro de Ægyptiorum medicina, frequentem æque arteriarum sectionem genti huic narrat ac ea quæ venarum est.

C A P. XXXIX.

De Renis dextri urinarieque vesicæ suppuratione.

Dissectionem cadaverum eorum hominum, qui doloribus variis, dum in vivis erant, miserè affligebantur, utilitatis plurimum Medicis, chirurgisvè adferre, experientia quotidiana abundè probat, hac etenim viâ aliis simili dolore laborantibus facilius feliciusque succurrere poterunt.

Et tamen, etiamsi accuratissimè defunctorum corpora, hæc, illavè, perlustrare nobis concessum, incerti sæpius hæremus; Testantur hæc quæ observavimus in corpore demortuæ cujusdam *Matronæ*, præsentibus inter alios *Dn. Francisco Sylvio*, & *Dn. Galeno de Haan*, Medicis, Aprilis die octavo 1666. à me dissecto.

Integumentis ventris infimi ritè dissectis, reclinatisque (inter quæ pinguedo valdè quantitatem ordinariam excedebat) notare nobis li-

cuit, *Intestini coli* anfractum, cujus situs naturalis in latere ventris sinistro, per dextrum supra hepar, & ventriculum, sub cartilagine eniformi, extensum fuisse.

Hepar, variis lobis exiguis præditum, benè se habebat.

Vesicula fellea bile maximoperè distenta.

Intestina reliqua, *Omentum*, *Mesenterium*, sana fatis.

Ventriculus flaccidus omninò.

Ren dexter, aliquantum loco suo motus, pinguedine totus tectus erat, substantia ejus, parenchyma dici solita, in totum consumpta, integrâ existente tunica propriâ, variosque sinus divisa. Sinubus his materia continebatur purulenta, falsa; unus tamen eorum pultaceum aliquod exhibebat, calci simile, calculorum materiam proximam.

Ren sinister exterius interiusvè vesiculis scatebat plurimis, imò infundibulo puris continebatur insignis; fatis copia.

In *pelvi ossea* non solum *uterus*, cum annexis benè se habebat, sed & *intestinum rectum*. Inter hoc & uterum corpusculum cartilagineum occurrebat nucis juglandis magnitudinem habens.

Vesica urinaria fundus corrugatus valdè, levi cum inflammatione, imò ex gangrænâ perforatus. Interius purulenta continebatur materia, obscuri coloris.

Observata hæc judicare nos faciunt, *renem dex-*

dextrum primò obfessum fuisse arenulis asperis, horum attritu vasa sanguinea læsa, & exin secutam sanguinis mictionem, imò suppurationem, eamque sic sensim vires sumpsisse, ut omne parenchyma fuerit consumptum, pinguedine cum tunica renis propria, sinuum pus continentium receptaculis, integre sanis. Ex sinibus his per ureteres puri concessam deductionem ad vesicam urinariam, unde inflammatio, gangræna, exulceratio, huicque supervenientia symptomata, secundum dictum *Hippocratis*, dolores, nausea, vomitus, febres, sitis ingens, aliaque varia, imò mors ipsa.

C A P. XL.

De Rene simplici.

PRudentia opus esse in affectibus periculosis, aut minus notis, omnium optimè experiuntur illi, qui in periculosis morbis, pericula fugiunt, non adeò ut famam malevolorum effugere, queant, quam quod ægrotantium incommoda imminuant, eosque ab incommodis præservent.

Anno 1657. lythotomiæ (ut vulgo dicitur) adfui alicujus *Puella*, cui calculum extrahere allaborabat *Rochus van Dyck*, *Lythotomus expertus*, præsentibus inter alios Chirurgis nostri Collegii variis; hic digito tangebatur corpus aliquod prominens, quod per vaginam muliebrem expellebat; inspicientes hoc Chirurgi, ab in-

cepto opere desisteret operator, effecerunt, eo quod non calculum, sed vesicæ urinaariæ particulam indurata[m] id esse judicarent, cujus extractio summè periculosa.

Plurimum pituitæ, arenularum concretarum, purulentæque materiæ, puellam hanc jam per aliquot annos excrevisse referebant illi qui ei adfuerant, unde vesicam occalluisse, incrassatamque fuisse suspicio non levis. Hoc verum cum Chirurgis celeberrimis *D. Bernardo Heems, & Hartmanno Hartmannides*, 19 Decemb. 1661. experti sumus. Post varia enim usurpata medicamenta, dolores iidem, vomitiones, vigiliæque, graves è vita ubi excessit Puella, aperto cadavere *Vesicam urinaariam* valdè duram, callosam, crassam, corrugatamque reperimus, imò etiam *calculos* duos *renales* seq.  figuræ magnitudini[que] in eâ.


Uterus locum suum occupabat, exiguus admodum, at semilunaris figuræ.

In *renum* constitutionem inquirentes, peritonæi duplicatura dissecta, *dextrum* nullum invenimus, imò ne quidem filamenta aut membranas; sed ejus loco ureterem ex Venæ Cavæ trunco descendente deorsum in vesicam urinaariam excurrentem, quale quid se observasse in *Dn. Teynes* quondam Professore, ejusque servo *Cabrolus* scribit.

Ren sinister ferè triplo major erat, quam naturalis constitutio permittit, forsan quo, opus perficeret, quod alter deficiens haud perficiebat.

Aper.

Apertus plurimum puris, calculorumque minutissimorum f. arenularum ingentem numerum exhibebat. In pelvi ipsa quatuor aut quinque *calculi* occurrebant ejus magnitudinis cujus supra delineati, quibus similes ultra centum excreverat puella, adhuc vivens, quos in capsula asservatos mater ostendebat.



A *Vesica urinaria.*

B *Ren.*

CC *Vena cava.*

D *Ureter ex vena cava
prodiens, vesicam
accedens.*

E *Arteria aorta.*

F *Vena spermatica.*

G *Arteria spermatica.*

H *Ureter.*

I *Ren succenturiatus.*

G Erardus à Lienbergen, Juvenis 22 annorum, temperamenti ut videbatur temperati, per duodecim septimanas excrescentia quadam carnea, sanguinea, ingenti satis, indicem sinistræ manus occupante laboraverat varii generis adhibita media, at sine ullo successu.

Vocatus ego aliam *Sarcomatis* hujus causam observare non potui, quam putrefactum unguem; excrescentiæ hinc *Mercurium* applicavi *Præcipitatum*, at frustra; *aqua Mercurialis* adhibita incrementi magis quam decrementi causa fuit. Quæcunque hic in usum ducebantur nihil omninò efficiebant.

Tandem, re omni accuratius considerata, haud adeò unguis putredinem, levior enimerat, quam humorem scorbuticum mali hujus causam constituere placuit, temperamentum hominis nil tale licet suggereret. Præparari itaque curavi apozema ex *Cochlearia*, *Becabungâ*, *Trifolio aquatico*, *Nasturtio aquatico*, eoque utatus quotidie suasi; vix dies unus altervè præterierant cum ex usu hujus Decocti & Tumor minueretur, & applicato *Unguento Ægyptiaco* integrè restitueretur æger.

C Ornelius Henrici scabinus pagi, qui *Sparendam* vocatur ex sanguinis ardentis extravasatione

satione dolorem contraxit finistri lateris thoracis, evacuato sanguine, remansit tamen dolor accessitque puris collectio, externè observabilis, aperitur tandem ope naturæ *abscessus*, pure magna quantitate effluente, Chirurgus ordinarius illius loci varia usurpaverat, at omnia frustra adhiberi videns me accersit. In abscessus conditionem inquirens inferiorem magis locum pus occupare observavi, quam foramen indicare videbatur, imò *costas subjectas corruptas* inveni, sectione instituta has denudavi, applicatoque *Spiritu vitrioli*, cujus ope separatio cariosarum particularum peracta, curavi.

C A P. XLIII.

De vulnere Sclopetario.

Vulgare militum dictum est, *projiciatur globus quocunque modo volueris locum certum invenit.*

Verum hoc experti sumus in *Joanne Cornelii Durgerdamensi*, viro sano, annorum triginta sex, nautâ, qui in prelio navali Anglico vulneratus erat globo ex bombarda explosa in latere sinistro ad duarum manuum distantiam à spinâ dorsi, ad marginem ossis ilium; ab accepto vulnere, referente Chirurgo ordinario, qui navis præerat, & sanguinis multum dejecit per alvum, & stercoreis per vulnus.

Obvenit nobis vulneratus hic quarto ab accepto vulnere die, historiam ejus quæque eo spectant

Etant Epistola quadam Cl. Joanni van Horne in Illustri Academiâ Lugduno-batavâ Professori exhibui, his verbis :

DOMINE;

NEc labor, nec fœtor, Chirurgus sæpius obveniens, Chirurgiæ amorem animo meo auferre hætenus valuerit. Utrumque exhibuit mihi modo in prelio navali Anglico-belgico vulneratus Joannes Cornelii Dogger, cujus curationi volupe Tibi fuit non semel adesse.

Varia eo tempore movebantur quæstiones, varia dabantur responsiones, inter omnes præcipuæ considerationis : Quæ causa exhiberi posset quod fœces alvinæ in hoc subjecto exitum suum nanciscerentur per vulnus, neutiquam ad loca ea quæ sub peritonæo supra intestina dantur.

2. Annon in intestino Colo duplex foramen, in demortuo cadavere per anatomen invenendum.

3. An globulus, qui vulneraverat, in corpore ægrotantis adhuc inveniri possit, cum tamen symptomata nulla alia, quæ alicujus sint momenti, sese manifestent.

Ad quæstionem primam succincte respondisti Vir doctissime, convenit ea autopsiæ anatomice post mortem instituta; observare enim hic nobis licuit, fœces ad exteriora intestinorum deferri non potuisse, ideo, quod obstaret intestini coli arcta connexio cum sinistro latere beneficio mesocoli, sic ut nec ad inferiora, nec ad superiora excrementa deduci queant.

At

At longè alia, Vir celeberrime occurrerunt omnibus iis qui dissectioni cadaveris adfuerunt, quam expectarant; Peritoneo enim dissecto Omentum se obrulit integrum, coloris flavi, (corpus licet emaciatum) crassitie moderate. Intestina sana, spina sive appendix ossium Ilia à globo in partes varias diffracta.

Hisc sic observatis rarum fuit annotare viam quandam sub intestino colo procedentem, imo ex eodem procedentem, cultrum nostrum stylumve ad interstitium quod est inter vertebrae lumborum tertiam & quartam, deducentem. Hic circa medullæ spinalis exteriora globulus hærebat, cujus præsentie debebatur collectio ea purulenta foetidissima materie, quæ ad quantitatem eam quæ piniæ vix contineri poterat, in dextro latere circa musculum psoas ferè consumptum detinebatur; in musculo hoc nervorum lumbalium vestigia quedam occurrebant, plurimi enim eorum puris vi etiam perierant, Musculus Psoas s. lumborum flexor, sinister, parte inferiore benè se habebat, at superiore truncatus, forsàn vi globuli.

Hæc sunt Vir Erudite quæ in Nauta nostro observare licuit, scripto quæ exprimere arduum, delineatio addita illustrabit. Dictis consideratis haud difficile tibi erit ad quæstiones sequentes paucis respondere, modo studia graviora permiserint.

Quæstionum a nobis propositarum prima est.

Qui fieri potuerit, quod, fractis dicto modo vertebrae, globuloque medullam spinalem premente, convulsiones graviores haud accesserint,

rint, imò natibus infidere æger potuerit sine ulla molestiâ, corpus variè agitans.

Secunda.

Consumptis ferè musculis lumborum flexoribus, quomodo potuerit æger pedes suos movere, extendere, flectere, & quidem sine dolore, aut stupore?

Tertia.

Quid causæ subesse possit, quod de dolore dextri lateris ubi pus collectum, cui etiam continuo incumbibat, nunquam conquestus fuerit æger? imò undè purulenta ea materia devenit, cum globus non transierit vertebrae, sed in iis detentus fuerit.

Quarta, & ultima.

Qui æger noster, graviter adeò fauciatus, non solum per 14 septimanas vivere potuerit, sed & qua ratione intra septimanam octavam & nonam vires ejus insigniter adeò fuerint auctæ, ut omnibus sanitatis reparationem certam brevemque promittere videretur, quam tamen subito superveniens animi affectus, ex altercatione gravi, inhibuit, cui mors inexpectata adscribenda.

Responsum tuum expectamus.

Vale diuque vive publico

JOE à MEEK' REN.

Epistola responsoria

Dn. JOANNIS van HORNE, *Med.
Doct. & Professoris in Academia Leidenſi.*

Vir honorande, Chirurge experientiffime.

Non uno modo obligatum me confiteor, eo, quod id laboris tibi sumere volueris, ut casus duos medicos, rariores; in praxi medica occurrentes, mihi communicares, factum id neutiquam, ut scedulis inutilibus scripta ea misceantur, sed ut, si quæ similis conditionis, nova, inaudita, mihi occurrerent, tibi communicarem, imò, quod majus est, ad quæstiones propositas, curiosas sanè responderem.

Ne quaeso agrè feras, Amice, quod in hoc errorem tuum accusare audeam, Oraculorum urbs vestra plena eum sit, quid causæ, ut olim Delphicum, sic nunc Leidensè accedere?

Ne tamen Tibi Tuisque inservire detrectare videar, in re quam judicio meo exponere placuit, ad quæſita proposita paucis respondere aggrediar.

Quæſtio prima est: Qui fieri potuerit, quod fractis vertebriſ, globoque medullam spinalem premente convulſiones graviores haud acceſſerint?

Certe, nervis laceratis convulſionis instrumentum ablatum est. Dici poſſet globum ad integumentum medullæ spinalis hæſiſſe, at convulſionis hæc cauſa nequit eſſe, eo quod veſtimentum hoc ex-

ter-

ternum sensu haud gaudeat acuto; naturam ligamentorum obtinens, vertebrarum connexioni in externis aequae ac internis inserviens; imo usum nullum nervis adferat, nisi quod comitetur eos usque dum partes carnosas intrent.

Alia foret quaestio cur pressionem spinalis medullae ab incumbente globo paralytis partium inferiorum non fuerit secuta? At sciendum globum dictum spinalem medullam attingere non potuisse, tum quod inter medullam hanc ejusque involucrum membranaceum notabilis distantia, tum quod velamentum hoc multo crassius in vertebrae inferioribus quam superioribus, quo vertebrarum foramina, quae in omnibus ejusdem amplitudinis sunt, ubique repleantur.

Accedit, quod natura, quo periculum tale averteret, quantum possibile, forsan excrescentiam quandam callosam eo loco produxerit, quale quid notare licet obs. 2. cent. 2. Hildani.

Quod addis: Aegrotantem saepius natibus infedisse, corpusque suum variis modis commovisse; ex eo colligere licet, quod etiam delineatio mihi transmissa indicat, totum corpus vertebrae haud fuisse fractum, sed solam ejus partem sinistram, unde fulcimentum sufficiens spinæ dorsæ. Imo in sedente homine pondus corporis vertebrae lumborum præcipue non incumbit, nec etiam in trunci incurvatione, in tali enim corporis motu corpus totum insistit tuberculis duobus ossis ischii, ex parte etiam parti ossis sacri; vertebrae etiam lumborum non moventur s. flectuntur a musculo

lumborum quadrato, sed in suo situ conservantur; at vero truncus corporis totus antrorsum incurvatur per musculum abdominis rectum & oblique aascendingem retrorsum vero precipue per sacrolumbum.

Secunda quæstio est: Consumptis ferè musculis lumborum flexoribus quomodo potuerit æger pedes suos flectere & extendere, & quidem sine dolore, aut stupore? *Ad hanc respondeo, cum non solum musculus sinister à globo contusus, dexter a pure consumptus, sed etiam simul nervus iis concessus, facile etiam patet doloris causam simul esse sublatam.*

Femoris extensio à musculis perficitur glutæis, qui non omnes, etiam in latere sinistro leri fuerunt.

Ad contractionem s. elevationem femoris musculo Psoas succurrit Iliacus internus, qui insertionem suam cum præcedente habet in trochantere minore; hic autem in uno latere nullo modo, in altero leviter admodum vulneratus. Adde, ex sententia Cl. Plempii, quæ cap. 34. libelli de musculis habetur, etiam Tricipitem musculum femoris elevationi inservire.

Tertia quæstio est: Quid causæ subesse possit; quod de dolore dextri lateris, ubi pus collectum, cui etiam continuo incumberebat, nunquam conquæstus fuerit æger? *Ad hanc respondeo, haud adeo molestum agrotanti fuisse decubitu in latus dextrum, quod sinistrum à globo fuerit vulneratum, hinc; quo à dolore esset liber, dextrum se latus elegerisse.*

Quod

Quod queris, ubinam hæserit materia purulenta, & undè devenerit, cùm globus non transierit vertebrae, sed in iis detentus fuerit? Nihil est. Nunquid enim numerus sat ingens hîc partium carnosarum, quæ confusa purulenta materie materiam præbere possunt, sanguine cum scateant nutritio, qui in pus converti facile potest. Imo cui Chirurgorum Medicorumvè ignotum est, ossa, quorum cortex exterior exesus, aut alio modo lusus, pus fætidum exhibere, quod si hæc ab aliis ossibus expectemus, quidni à vertebrae lumborum, quæ fungosæ naturæ sunt, sanguineaque medullæ scatent? Ad hujus materie illustrationem faciunt, quæ capite 28. libri tertii proponit Magnus Tulpius.

At mentionem facis quantitatis considerabilis materie fœtidæ, quæ etiam consumptioni musculi psoas dextri occasionem dedit, informarique desideras undè ea, & quid causæ subesse possit, quod nunquam de dolore punctorio conquestus? Dico collectionem hanc non fuisse nisi materie ichorose, quæ sensim ex laeso membro exstillavit, qualem ichorosum humorem sæpius exstillare notamus, quoties articulus aliquis nervosus lusus, quæ de re singulari observatione agit Fabr. Hildanus, qui tamen insuper notificat humorem hunc acrem esse, ac propterea dolorem stuporemque articulis adferre, quorum nihil in nostro egrotante observatum. Hujus rei meo judicio ratio aliâ dari nequit, quam quod consumptio musculi dextri ab hoc Ichoroso liquore sensim fuerit producta,

primo enim ex ejus affluxu maceratus hinc ob copiam & moram corruptus.

Ad quæstionem quartam, quæ ultima, haud adeo facile est respondere. Verum equidem vulneratas haud fuisse partes, quarum vulnera absolute lethalia; quod enim colon intestinum spectat, vulnera ejus sæpius sine gravi incommodo ad longum tempus servantur, imo ob substantiæ conditionem, crassum enim, carnosumque, non raro ex seipso curantur, quod constat exemplo à Nicolao Tulpio cap. 20. lib. 3. proposito.

At quo naturæ beneficio factum fuerit, & quo modo, quod vires ægrotantis intra septimanam nonam & decimam adeò increverint, ut perfectam curationem Chirurgis promiserint, miraculis, imo monstis annumerandum, quorum numerum Medicina aque ac Chirurgia quotidie exhibet.

A nimi affectus inordinati, ira imprimis, quid in vulneratis, imo abscessu aliquo interno externo-vè laborantibus, ulceratisvè, valeant, experientia quotidiana satis declarat, sanguis etenim spiritusque vitales impetuosius justo per arterias propulsi, adeoque effervescentes, non solum febres producunt, quarum vi nutritio partium intminuitur, viresque deficiunt, sed etiam in partes debiliores illidens, ut aqua in recenter exstructas aggeres, referat jam consolidata, undè & labores Chirurgorum irriti & spes omnis vana. Huc faciunt quæ Hildanus habet Cent. 1. obs. 17. 18.

Sint hæc Chirurge experientissime ruditer à me

*proposita ad ea quæ Epistolio tuo exhibuisti, quæ
si non satisfecerint desiderio tuo, est quod moneas.
Vale Amicissime*

Et favere perge
Amico tuo paratissimo

JOANNI VAN HORNE.

C A P. XLIV.

De Calculo renali lumbos perforante.

QUOD si auxiliares Chirurgorum Medico-
rumque manus operanti naturæ, quam
Joan. Baptiste. ab Helmond Archeum vocat lib.
de Aurora §. 3. & 4. succurrerent magis, quam,
imprudenter, imò sæpius ex inscitia, fieri obser-
vamus, plures sanitati restituerentur ægrotan-
tes, quam nunc sepulturæ exhibentur.

Franciscus de Haas, Juvenis temperamenti
boni, ast, ob continuos dolores, quodammo-
do ficcioris, ab anno ætatis decimo sexto ad tri-
gesimum octavum gravi dolore nephritico, &
urinæ excretionem purulenta, laboravit, varia ad
doloris mitigationem, arenularum exclusionem,
ulceris renalis curationem, adhibita, magno cum
successu, remedia, etiam fonticulus in femoris
parte interna ad genu productus, quo hoc effe-
ctum, quod & dolor per aliquot annos remise-
rit, & urinæ excretio purulenta.

Anno uno cum dimidio ante obitum subito

recidivam passus est æger, quæ gravis adeò ipsi fuit, ut sceletio magis quam homini similis videretur. Undè Medicis *Tabæ dorsali* eum laborare probabilius visum, quam renum exulceratione, Antefebrilia hinc omnis conditionis exhibuerunt, lumbisque linimenta appropriata applicarunt.

At provida natura affectum hæcenus occultum brevi manifestum reddidit, dolore afficiebatur intolerabili lumborum parte infimâ, proximè ad oram ossis Ilium, sine omni protuberantiâ, intumescentiâ, aut crassitie; quæcunque applicabantur *Emplastra*, aut *Cataplasmata*, *Anodyna*, *Attrahentia*, nihil effecerunt. Tandem *tuberculum*, fabæ magnitudinis, rubicundum, inferiore magis loco, ac ille qui doloris, se exhibebat. Hoc cultro acutiore aperto puris viscidum, cinerei, aliquomodo foetidi, plus quam libra semis effluebat, & hæc puris dicti evacuatio, licet non semper eadem quantitate, ad vitæ finem perdurabat.

Excretio hæc purulenta controversiis variis inter Medicos Chirurgoſque occasionem dedit. *Fuerunt* qui purulentam hanc materiam *ab occipite* deorsum defluere ad foramen statuerunt, eamque, antequam perforatio à nobis instituta, collectioni ansam dedisse. Sententiam hanc confirmabant plurimum quæ à fratre ægrotantis *Theodoro de Haas*, *Consiliario*, proponebantur. Hic ante biennium dolore cervicis, capitis, lumborumque, longo tempore laboraverat, qui

Emye.

Emyemate terminabatur ; similem affectum etiam in hoc ægrotante dari, & sibi & nobis persuadere conabatur, maximè cum etiam purulenta quædam, sanguini sæpius mixta, quandoque expectoraret, Asthmaticus fatis ; magis ea propter pectoris pulmonisque rationem haberemus, quam dorsi, lumborum, renumque, rogavit, curationem certam, qualis integra obvererat sibi, etiam fratri promittens.

Medici *Alii* nobiscum nullam partem aliam internam accusari hic debere crediderunt, quam *renem dextrum*, hujusque læsionem doloris in ægrotante causam esse ; idque magis, quod accuratâ observatione notatum esset, puris copiam in urinâ urinali receptâ imminutam esse, quoties ejus per foramen factum evacuatio largior. Imò credibile omninò nobis habebatur, ulcus purulentiam exhibens, supra musculum glutæum majorem, ad ossis ilii dorsum occurrens, ex pure, à rene dextro ad musculum ferratum, & sacrolumbum destillante, ortum fuisse.

Concludebamus adeoque, ægrum nostrum *Calculo renali cum exulceratione laborare*, licet pulmonum malam constitutionem adesse haud negaremus, naturamque, morborum sæpè medicatricem, perforatione aliqua puri exitum procurasse, qua de re legi possunt quæ habentur apud *Fontan. exempl. 42. fol. 117. Tulpium observ. 4. cap. 27.*

Antequam finem imponeret vitæ æger noster, præterquam quod dolores dorsi, lumborum


rum, pectoris, & stomachi, gravissimi valdè debilitarent, febris correptus est continuâ ardente, cum vomitu purulento continuo; ad hæc tincturam benedictam propinavimus, at sine notabili successu. Agonizans ut Deo omnipotentiam animam, sic medicis Chirurgisve corpus obtulit.

Aperto cadavere, præsentibus *Ampliff. Dn. de Haas Consiliario*, fratre defuncti, *Viris celeberrimis Dn. Guiljelmo Pisone, Dn. Francisco van der Schagen, Medicis, & D. Georgio van Loon, Chirurgo*, variisque aliis, *Pulmonem* invenimus sanum, sine ullâ inflammatione, aut purulentia, parvum & mollem.

Ventriculo puris cinerei, & aliquomodo feculentis notabilis satis copia continebatur.

Hepar bene se habebat, nisi quòd convexa ejus pars inflammationis notas exhiberet.

Ren sinister satis benè constitutus, at *dexter* in totum consumptus, locum ejus occupante materia callosâ, cui hærebant calculi hujus magnitudinis, quorum maximus, dorsi exulceratione præmissa, viam sibi, loco ulcerato, fecit, pene-



nitudinis, quorum maximus, dorsi exulceratione præmissa, viam sibi, loco ulcerato, fecit, pene-

penetrante parte acutiore, relicta intra costas spurias parte ampliore.

Dissectio hæc docet nos, muneris nostri esse naturæ providæ succurrere. Quod si apertio quædam à nobis fuisset instituta loco altiore, eo scil. qui renes est, qualem instituisse *Hildanum* legimus *obs. parte sextâ, in Magdalena Bis*, sinistro licet successu, non dubito quin calculum majorem extrahere licuisset.

Blanda magis, & minus periculosa, fuit curatio, quæ in uxore *Jacobi Nieland* instituta; laboraverat hæc, per annum & ultra, *calculo renum cum exulceratione* gravi, ad hæc medicamenta interna, renis corruptionem tollentia, calculos educantia, dolores mitigantia, varia usurpata.

Vocatus ego, consideratis iis, quæ, & affectum ejusvè causam, eoque facientia symptomata spectabant, & medicamentorum hætenus usurpatorum varietatem, viresque, primò omnium ea quæ renum impuritates tollere dicuntur, *Cassiam* scil. *fistul. recenter extractam*, *Tamarindum*, similiaque, exhibui; Hinc, quod plethoricum valdè ægrotantis corpus, *Venesectioes*, in pede æque ac brachio institui curavi. Tandem conditi sequentis usum commendavi.

℞. *Therebinth. Venet. in aq.*

Plantag. lotæ $\frac{z}{3}$ j. $\mathfrak{ss}$.

Butyri recent. $\frac{z}{3}$ $\mathfrak{ss}$.

Ocul.

Ocul. cancri 3 ij.

Liquirit. subtil. pulv. 3 ℥.

Bals. Sulph. Gutt. xx.

M. F. Massa.

Hujus singulo die, horis matutinis, ea sumatur quantitas quæ est nucis juglandis.

Reni affecto exterius applicabatur *Emplastrum* alutæ illitum, latitudinem duplicis longitudinem unius manûs habens.

℞. Radic. *Aristoloch. rotund.*

Liquirit. an. 3 ij.

Irid. nostr. 3 j.

Sang. Dracon.

Hirci an. 3 ij ℥.

Sarcocoll. Mastich. an. 3 ℥.

Flor. Hyperic. 3 j.

Sev. Hircin. 3 j.

Ceræ Flav. 3 j ℥.

Ol. Scorpion. q. s.

F. S. A. *Emplastrum*.

Interno huic externovè medicamento *Mulsam* sequens additum, hujus singulis vicibus uncias tres, & quidem tribus de die, assumat, brevi cum urinâ *calculus* hujus magnitudinis excrevit, simulque pituitæ ac arenularum quantitatem confide-
rabilem, quibus exclusis & dolor
omnis remisit, & purulenta urinatio,



℞. Mellis opt. Marsilian. ℥ iv.

Aque Pluvial. pint. x.

Mixtis his adde

Herb. recentium, concisarum Agri-
mon. Sanicula

Pyrola, Veronica

Alchimill. an. M j.

Rad. Liquirit. $\bar{z}$ j.

Lign. Nephrit. $\bar{z}$ ℥.

Coquantur in ollâ terreâ aut æneâ ad
aliquam crassitiem, non neglectâ de-
spumatione debitâ. Peractâ deco-
ctione fiat colatura per columlineum,
colatum excipiat in ollâ nova, am-
plâ, detineaturque usque dum fer-
mentatio debita, loco calido, per-
acta; Mulsam hoc vitris aptis ex-
cipe, serva, debitoque modo usurpa.

Experientia quotidiana probabit, in nephri-
ticis iis qui arenulas, calculosque exiguos excer-
nunt, mucosa itidem, aut purulenta, modò
non sint biliosæ nimis constitutionis, plus com-
modi Mulsam hoc adferre, quam ullum aliud
hactenus notum medicamentum.

Quod si verò calidioris temperamenti ægro-
tantes ab usu ejus abhorreant, aque spadane ali-
quid misceri potest, quo vis ejus calefactoria
infringatur.

C A P. XLV.

De Calculo ureterem renis dextri obturante.

Dissectio cadaveris cognatæ nostræ *Mag. dalenæ van de Graaf* valdè contristavit non solum Medicos Chirurgoſvè, sed & adstantes alios, consanguineos, amicos, quod, ejus ope, contemplari liceret, & interiorum viscerum constitutionem vitiosam, miseræ vitæ authorem, & curationis impossibilitatem.

Quod enim cadaveris hujus apertionem aggressus fuerim, non solum desideria fecerunt medicorum variorum, qui ægrotanti manus auxiliares præbere omni ope allaborarunt, sed & nostra: sic enim fore nullus dubitabam, quin cujus conditionis hostis ille fuerit, qui miserè adeò hætenus vexaverat demortuam, quæve causa, quod, quæcunque magno numero, usurpata media, nihil omninò levaminis attulerint, constare queat.

Non uniùs sed duplicis hostis insultus sustinere, coacta fuit ægra nostra, quantum ex ventris imi apertione notare licuit.

Dissectis *Ventris integumentis communibus, musculisque abdominis dictis, peritonæum* occurbat, durum valdè, imò *cartilaginosum* omninò, forsan, quo aquæ graviori sustinendæ commodius inserviret; per annos enim sex aut septem ex feri hîc collecti copiâ tumidum circumgestaverat ventrem. Imò intra peritonæi du-

plica.

plicaturam serum hoc in hac ægrotante collectum esse, sententia medicorum variorum fuerat, jam antequam venter aperiretur.

Peritonæo disseccto *seri* quantitas ea, quæ est *viginti quinque librarum*, effluxit, haud sanè magna, siquidem comparetur quantitati illi, quæ in aliis observari solet, forsan quod, vel per vias occultas, vel per secessum aut urinationem, imminutum fuerit.

Ablata hinc etiam aquâ eâ quæ in cavo ventris continebatur, *peritonæum* interiore superficie nigrum observavimus, quasi sphacelatum.

Omentum nigrum itidem, & ferè corruptum.

Intestina corrugata, commaculata.

Hepar tuberosum, grave, contractum, variis locis mucò incrustatum.

Vesicam bilariam tubera hepatis primò occultabant, at mox bilis exiguam quantitatem continens se exhibuit.

Ventriculus vacuus erat, laxus, mucò obductus.

Lien exterius gravis, crassus, atque ingens, at interius & coloris erat boni, & consistentiæ debitæ.

Vesica urinaria urinæ nihil continebat, mucosâ crustâ, similiter ac partes reliquæ, obducta.

Hydrops hic imi ventris, ex tristitiâ, leviâ causâ inductâ; ortum habens, subito invaserat ægram, undè varia hominum iudicia effugere

haud

haud potuit ; uno hanc altero aliam subitanei hujus incrementi ventris causam adferente ; & cùm vidua esset , fatis formosa , annon gravida esset occasio dubitandi multis data.

Potio Monachodamensis futoris , valdè hîc idci decantata , calida , acrisvè aquosi humoris plurimum educebat , at febrem continuam ægrotanti inferebat.

Post varia adhibita medicamenta , meam implorare cœpit opem ægrotans , quam in alio quodam subjecto à me institutam viderat *abdominis paracenthesin* , in suo institueretur , summo-perè flagitans , sic enim curari se posse sibi persuaserat. At ego , operationis hujus incommoda exponendo , ab intento desisteret , effeci ; aquam enim , ventre contentam , successu temporis viscera omnia , hepar , lienem , ventriculum , intestina , omentum imprimis , eo quod tenerum pingue , facilisque corruptionis , corrumpere , adeò ut tonum naturalem amittant , imò tunicam eorum exteriorem variis locis vi suâ corrosivâ auferre , quale quid in brutis iis videmus qui in aquis diu detenta fuerunt , certum esse , dixi , hinc metum esse , siquidem paracentheseos ope educeretur ventre contenta aqua , mucosum visceribus inhærentem , adhærentemque magis acrem , foetidumq; humorem cumulari , eundem dehinc citius putrescere. Distinguenda adeoque corpora esse eorum , docui , quibus ventris apertio instituenda ; ut enim successus aliquis , incertus licet , expectandus , ubi paracenthesis hæc

hæc peragitur in hydrope recenter oborto, visceribus ab illuvie serosa minus alteratis viribusque corporis minus destructis, ita nullus, ubi inveteratum malum, interiora corrupta, vires deperditæ.

Videns ægrotans nostra hoc auxilio se destitutam, annon aliud quid excogitari possit inquirere cœpit, ego, ne nihil egisse viderer, plaustra medicamentis onusta licet jam oblata, ad feri aliquam evacuationem promovendam *Vesicatorium* pedi dextro applicavi, *Emplastrum* itidem exsiccativum, corroborans abdomini, loco tamen illi maximè cui subjacet hepar. Præter hæc *conditum* sequens, singulis diebus, aut alternis, magnitudine juglandis assumendum, confici curavimus.

℞. *Elect. Diaphœn.* ʒ j. ℥.

Rad. Jalapp. ʒ j. ℥.

Gutta gamb. ʒ j.

Macis gr. ʒj.


M. F. Conditum.

Multum profuit, adeò ut ecclesiam adire, tempore vario, concederetur, neutiquam tamen in totum ab illuvie serosâ ventre congregata, variè mobili, adeoque nec respirandi difficultate, liberari potuit. Miserè ea propter hostis hujus impetus sustinere coacta, usque dum secundus, qui nephritis, accessit, ad cujus ablationem medicorum operam de novo implorare necessarium fuit.

Renes in cadavere , qui hosti secundo januam aperuerant , extraordinariæ erant figuræ , *dexter* imprimis , magnitudinis , crassitieque excedentis , interius calculis nonnullis exilibus refertus.

Sinistro infundibulum erat insigniter amplum , à quo ad ureterem via satis patens , cui digitum inferere indicem licebat , quale exemplum *Parvus* adfert *lib. 17. cap. 31.*

Ureteris hujus in medio *calculus* hærebat teres , tabulæ sequentis figurâ B designatus , quem ex rene deorsum descendisse certo nobis persuademus , quarto maximè ante mortem die , quo urinam largiter usu medicamentorum excrevit , quæ jam per dies viginti tres (horrendum dictu) suppressa fuerat.



Consideratione dignum , ex feri sanguinis diuturnâ adeò retentione nullam cerebro indutam fuisse alterationem , quæ ferè in tali casu

super-

supervenire solet, adeoque ægrotantem, sana mente, sine ullâ extraordinariâ somnolentiâ, aut febre graviore, interiisse.

In anatome nostrâ procedentes *Renem* accessimus *dextrum*, de quo non est quod multa hîc proponamus, similis enim se exhibebat *calculus* illi qui delineatus habetur Tabulæ additæ figura A, cui æquiparandum proponit *Nobil. Tulp. obs. lib. 2. cap. 45.* differt tamen noster ab eo qui à *Tulpio* in *Margareta Nicolai* repertus, quod crassior, & instar epistomii foramen vasis claudens, renis pelvi impositus. Obstaculum hoc similiter ac illud quod *Tulpius* invenit, conspicuè omnibus ostensum, vindicavit artem ab ignominia, & inculcavit efficaciter

Non esse in medico, semper relevetur ut eger.

Supereſt hoc loco moneamus, insecta ea, *cantharides, millepedes, locustas, cicadas*, similisque conditionis alia, diureticis annumerata, non statim ac urinæ excretio impedita est, usurpanda, cum plus sæpius damni quam commodi ægrotanti adferunt, eò quod ejusmodi animalculorum minutissimo fatis insit virium etiam crassissima, attamen fluxilia, mucum scilicet, calculos, arenulas, & ejus generis alia, ureteres transire valentia, penetrandi, expellendique.

C A P. XLVI.

*De ductus Cholydochi inris susceptione in puero
sex annorum.*

MOrbos quotidie occurrentes ter centum enumerat *Plinius*; eundem numerum imò majorem, eorum qui vel ignoti hactenus, vel necdum ab aliquo descripti, priori si quis jungeret, necdum determinatum eum exhibuisse, certus sum, quot enim indies medicis Chirurgivè non offeruntur morbi, qui vel latent eos, vel ad quorum curationem accedere detrectant, undè est, quod eos describere supersedeant.

Aliis interim haud grave est, etiam ea, quæ, inaudita licet, nec ab ullo descripta, nova occurrerunt, publico communicare, cujus conditionis *febris septana, menstrualis sanguinis fluxus per pudenda in viro, surditas quartana, &c.*

Sudorem sanguineum alternis diebus recurrentem, cum doloris lateris, ejusque intolerabilis, sublatione, in viro quodam *Nicolao Lok* observavimus.

Hæc, similiaque plurima, *Plinio* ignota, numero ab ipso proposita haud continentur.

Artis nostræ cultoribus *puerum* exhibemus, sex annorum, qui, postquam per aliquot menses in nosocomio nostro decubuerat, *abscessu cubiti* enormi laborans, novo quodam, eoque inaudito, morbo, correptus est, ex quo etiam inquietudine, dolore, ejulatu, sudore plurimum

num debilitatus, post biduum interiit.


Doloris, de quo valdè conquerebatur quamdiu in vivis erat, *locus* imprimis *hypogastrium* erat, *regioque umbilicalis*. Ad hujus sublationem varia externa æque ac interna usurpata media, Clysteres, linimenta, fomenta, (inter quæ primarium omentum recens ovillum leviter in lacte dulci, additis floribus Chamomill. & Melilot. decoctum) potiones anodynæ, &c. at frustrâ omnia adhibita.

Accedebant collum ægrotantis utrinque occupantes, hinc deglutitionem sibi potiusvè inhibentes, *tumores* pituitosi duo.

Apertionem *cadaveris* defuncti aggressi non nisi lumbricorum in ventriculo aut intestino copiam expectabamus, quod, antequam obiit, plurimos excrevisset, & hos dolores ventris atrocissimos, qui miserum puerum vexaverant, produxisse conjiciebamus. At vanæ nostræ suspiciones, quin potius singulare aliquod, novum, inauditum, à nullo vel visum vel descriptum nobis se exhibuit.

Postquam enim ventriculi, intestinorum, partiumque aliarum ventre imò contentarum dictis adfitarum constitutionem, quam fieri potuit accuratissimè examinaveramus, quo causa doloris, quo laboraverat ante mortem æger, innotesceret, nihilque hîc inveneramus, quod eam constituere liceret, præter humoris biliosi ventriculo atque intestino incumbentis copiam, ejusdem quoque *ventriculi*, cum *intestinis in-*

*flammationem, imò variis in locis syderationem,
nec non omenti putrefactionem, vesica fellea sta-
tum considerare placuit, at hanc ruptam inve-*




nimus, bile vacuum; accedebat *ductus cholydochi*, intestinum duodenum accedentis, mox sub Vesicæ cervice, *intus susceptio*, similis omninò intusceptioni illi, quæ in intestinis reperiri solet, ubi pars una alteram ingreditur, undè crudelis ille affectus, quem *miserere mei* practici appellare solent, ob cruciatus gravissimos, quibus tentantur ægrotantes.

Angustatus dicto modo ductus bilarius rupturæ vesicæ occasionem dedit, bilem enim omnem, quæ alias intestino exhibenda, continere haud valens non potuit non continui solutionem incurrere; & hanc vesicæ rupturam bilis supra ventriculum & intestina partesque alias effusio necessariò secuta est, imò, ab hac dependens superficialis partium earum erosio. Patet sic ægro supervenientium symptomatum, doloris imprimis, febrisque, imò mortis ipsius causa.

Casui huic similis ille, quem *Hildanus parte 4. obs. 45.* proponit, ubi in cadavere *Joannis Casseiani* vesicam felleam bile omni vacuum inventam narrat, bilem verò ipsam supra intestina effusam.

Intusceptio ductus cholydochi in puero hoc observata figurâ hac delineata.



- A. *Vesica biliaria.*
 B. *Intestinum duodenum.*
 C. *Intus susceptio ductûs cholydachi.*
 D. *Ductus biliaris hepaticus.*
 E. *Vena portæ.*
 F. *Arteria aorta.*
 G. *Nervus hepaticus.*
 H. *Vena umbilicalis.*

C A P. XLVII.

De Umbilico indurato, carnosò.

Umbilicum, ejusque vasa variis affici malis
 posse, quotidie experimur; hæc ante-
 quam exhibeamus, haud inutile, quænam ad
 constitutionem eorum concurrant paucis expo-
 nere, quæ de eorundem distributione, atque
 origi-

origine ab anatomicis adferuntur, incerta hætenus, placet enim variis valorum horum originem constituere uterum, hinc placentam uterinam, uteri superficiei internæ adhærentem, sic ut vasa ab utero exhibeantur placentæ, à placenta foetui; Alii contra foetus hæc esse vasa volunt, ab eoque ea deduci ad placentam dictam, ubi disparent.

Nodi, quos *funiculo umbilicali* notamus, ex quorum numero foetuum edendorum numerum puerperis prædicere audent imperitæ obstetrices, nihil aliud sunt, quam membranæ carnosæ, quæ sanguinis motum retardare valent, ne impetuosè nimis foetum accedens suffocationis author sit, sed ut potius ritè elaboratus nutritioni foetus inservire queat.

Umbilicalis hujus funiculi in foetu recens nato constrictio, quæ ab obstetrice peragitur, cum circumspeditione fiat, sic ut nec nimis remotè à foetus corpore resecetur, nec proximè nimis variis licet placeat ex longitudine ac brevitate umbilicalis funiculi dissecti de foetus genitalium magnitudine ac parvitate judicare, ac si mentula longa sequeretur funiculum remote à corpore abscissum, vaginæ uterinæ angustia eundem proximè ad corpus ablatum. Rationes legi possunt in annotationibus quas Anatomix *Cabrolii* addidit *Vopisc. Fortun. Plempius cap. de umbilico*. Veritatem falsitatemvè hujus rei quotidianæ observationes declarant.

Certum omninò resectionem remotiorem

N s justò

justò putredini foëtorique, graviori ansam dare, proximiorẽ tardiori ejus quod relictum separationi.

Consideratione hic quam maximè dignum, imò scitu summè necessarium, non solum obstetricibus, sed mulierculis omnibus, quæ in partu auxiliares solent præbere manus, quoties fætus inexpectata datur occlusio, adeoque ressecandus funiculus umbilicalis, non præsentẽ obstetricẽ, præmissâ ligaturâ justâ, non esse *abscissionem* ejus instituendam spatio eo quod est inter ligaturam & abdomen foëtus, sed eo quod inter ligaturam & secundinas, ne, apertis vasis umbilicalibus sanguinis sequatur fluxus nimius, hinc mors ipsa.

Facit huc observatio, quæ in *puerpera* quadam, rerum circa partum agendarum imperitâ, occurrit, hæc, ex alio imprægnata, inscio viro, imò nullâ præsentẽ obstetricẽ, aut muliere aliâ, sarcinam hanc deponere constituerat; prodit foëtus, ressecandum esse funiculum umbilicalem, ligandumque, quam probè cognoscebat, ita, quo loco id instituendum, planè ignorabat, forficis enim ope dissectionem instituebat spatio eo quod est inter vinculum injectum & ventrem foëtus, mox, sanguine rivulose effluente, interibat foëtus.

Puerpera quid ageret, quove se verteret, ignorans, ex partu debilitata, ex morte subitanâ foëtus alterata, cadaver projicit in vas quod erat ad manus, brevi, modò vires permiserint, ab-

jiciens

jiciendum, vase detentum abscondit, ægrotans decumbit, accedunt amici, cadaver putredinem concipiens cubiculum replet fœtore, ingratus hic omnibus puerperam visitantibus, inquirunt in materiam eum suggerentem, inveniunt tandem vasi inclusum fœtum, tempore corruptum; puerpera in jus vocatur, &, quod ex ignorantia omnia fuissent peracta, absolvi-
tur.


Materiæ huic antequam finem imponamus, annotare summopere necessarium, ex observatione *Fabr. Hildani* quæ est 52. lib. 1. Obstetricum imperitiæ deberi, quod constrictio umbilicalis funiculi vel laxior justo, vel strictior perficiatur.

Ligatura laxior si fuerit, sic ut sanguis ad exteriora moveri aliquomodo queat, licet non eâ quantitate, ut ejus sequatur exstillatio, non raro excrementiæ exoriuntur carneæ, quæ sæpius magnitudinem crassitiemque insignem assumunt, nisi inhibuerit Chirurgus; ad harum sublationem ligatura injicienda, hinc vitriolum cyprum applicandum; & hac methodo non solum in recens natis sed & adultioribus, cum fructu, processimus.

Puerulo cuidam, mercatoris cujusdam Angli filio, ex laxiore umbilicalis funiculi constrictione in tantam *longitudinem*, *crassitiemque umbilicus* excreverat, ut virgæ virili similior quam umbilico; Hic, abscissione præmissa, *vitriolo* primò utebamur *cyprio*, hinc plumaceo-

lum quo *adstringens pulvis* erat exceptus applicabamus, superimposito *Emplastro vulgari*. Et horum mediorum ope brevi curatio peracta.

Magnitudinem, crassitiem, & longitudinem funiculi umbilicalis indurati, abscissi, figura hæc adumbrat.



Hydatides ubi umbilicum deformant, fetus hic utilis valdè.

℞. *Semin. Cumin. Anis. an.* ʒ ij.

Alum. rock. ʒ ʒ.

Cortic. quercin. ʒ ʒ.

Granat. ʒ ij.

Coquantur in vini gall. & aque fabr. ferrar. an. part. equal. ad lb ʒ.

F. Fetus.

Appli.

Applicetur calidè umbilico ope pannorum.

Fotu hoc nihil efficiente, acum, filo crassiore instructam, per vesicam trajicere commodum; filum hinc *ung. basilic.* inunctum, ablatâ acu, in vesicâ relinquatur uti in setaceo fieri videmus, & exstillabit aqua vesicâ contenta.

Plura hoc tempore hac de re proponere superfedeo, legi possunt quæ habentur capite sexto hujus opusculi.

C A P. XLVIII.

De Enterocèle in viro senè, lethali.

INter affectus omnes, qui magno numero hominibus molestiam adferre solent, haud infimæ notæ *intestinales Hernia*, utpote quæ variis exitiales.

Tilermannus Niekerken, Pellio, senex, temperamento ficcus, per multos annos Enterocèle molestâ, insciis omnibus, laboraverat. Anno 1653. mense refrigeratis pedibus, imò totus frigidus, lectui se commisit, ventris hîc subitò corripitur dolore, mox vomitu gravi, undè intestini in scrotum secutus prolapsus.

Vocatus Chirurgus arte nullâ efficere potuit, ut in situm restituerentur intestina; in consilium adductus ego, summo mane, inveni hominem dolore ventris, febris, vomitu, suppressioneque excrementorum alvinorum & urinæ, decumbentem, consultum videbatur *Enema* hoc præscribere.

Bl. Ra-

℞. Rad. Lilior. Alth. an. $\bar{z}$ ij.
Fol. Violar. Malv.

Parietar. an. M. j.

Flor. Chamomil. Melilot.

Anethin. an. M. $\bar{s}$.

Semin. Lini Anis.

Cumini, Fœnugr. an. $\bar{z}$ $\bar{s}$.

Coquantur in aqu. pur. & cerevis. an.
part. equal. q. sin col. $\bar{z}$ viij. dissolve

Elect. Diacarth. $\bar{z}$ v.

Vitell. ovi n. j.

Ol. chamomil.

Verbasco. Aneth. an. $\bar{z}$ j.

Anis. g. ij.

F. Clyster.

Pro fomento Tragæam hanc præscripsimus,
in lacte dulci decoquendam.

℞. Fol. Parietar. Malv.

Verbasco. an. M. j.

Flor Chamomill. Melilot.

Aneth. Sambuc. an. M. $\bar{s}$.

Sem. Anis. Fœnic. an. $\bar{z}$ $\bar{s}$.

Preparata dentur usui in chartâ.

Fotus hic antequam applicaretur Litus hic
usurpandus.

℞. Ol. Aneth. Melilot.

Chamomill. an. $\bar{z}$ $\bar{s}$.

Anis. gr. x.

M. F. Linimentum.

Me-

Mediis hisce exiguo tempore adhibitis, cum, in intestino sacculo contento, non tantum flatus, sed & alvinas fœces reservari, constaret, leniter intestinum manibus nostris tractare, secundum monitum *Hieron. ab Aqa* appendente quod habetur *parte 2. de tumor. præternaturalibus lib. 1. cap. 3* 1. aggressi sumus, quod sic, fœcibus emollitis, sensimque ad interiora protrusis, etiam intestinum ipsum reponi suo loco posset. At irritus omnis labor, eò quod partes omnes, durius justo à Chirurgo nocte præcedente tractatas, inflammatas, & non parum contusas, sine dolore gravi apprehendere haud liceret.

In re ejusmodi gravi nobis jungere placuit consanguineis *Virum Ampliff. D. Nicolaum Tulpium*, qui, ex tempore accedens, habita consideratione affectûs perceptisque iis quæ prægresso tempore fuerant peracta, necessarium omnino duxit *Enematis* ad modum à nobis præscriptum præparati injectionem, hinc, pannorum ope *Olei* seq. applicationem.

Rx. *Olei Anethin.*

Chamomill. an. lb j. m.

Usurpetur calidè.



Imò quo molliter intestinum reponere nobis liceret, consultum judicavit ægrum eo in situ detinere, ut pedes sursum sint elevati, caput verò inferiora spectet. At ne quidem hoc tempore de novo ad intestinum prolapsum delatæ fœces ad

interiora deduci à nobis potuerunt, quamcumque etiam diligentiam adhiberemus; imò ab opere desisteremus vomitus gravis materiæ pituitosæ, biliosæque, coëgit.

Ita sine ulla doloris in ægro anxietatisve remissione tempora nostra trivimus usque in diem tertium, qui, cum doloris equidem decremento, at verò febris incremento, vomitu fœcum fœtidissimarum gravis valdè atque molestas fuit, quod ob angustiam intestini descendere inhiberentur. Considerabile enim in hoc ægro, intestina scroto detenta convoluta aliquomodo fuisse, undè impossibile stercora per anum evacuari, quin contra, ad gyrum intestini delata, retrogredi necesse habuerunt.

Ad hujus affectus curationem, quo & dolor & anxietas tollatur, medium aliud hæctenus haud cognitum, periculosum licet, incertique exitûs, quam quod *lib. 2. cap. 40.* describit: *Chirurgus Regius Petrus Pigeus*, nec est quod id rejiciat *Marcus Aurelius Severinus*; nostro fanè, imò & *Ampl. Dn. Tulpii*, judicio facilius longè operatio hæc instituitur, quam sectio cæsarea.

Declaratâ operationis hujus utilitate, incerta licet, periculosaque, consensu ægrotantis, consanguineorumque, die quarto ægrotum accessimus, nil obstare sperantes quo minus eam institueremus. At opus hoc inhibuerunt varia, animi imprimis deliquiâ, deliria, sudores frigidiore, imò scroti ipsius gangræna, quæ omnia,

ad

ad mortem usque, circa meridiem supervenientem, continuarunt.

Quo verò junioribus constet, qualis operandi modus in desperato ejusmodi casu à *Celeberr. Pigræo* describatur, cum semper ex sententiâ *Celsi*, aliorumque in morbis gravioribus præstet remedium adhibere anceps quam nullum, & necessariò ejusmodi herniosus mori debeat, si nullum adhibeatur medium. Verba Authoris hæc sunt:

Si, inquit Vir expertissimus, intestina contorta, fœcesque in iis conclusas esse contigerit, nullatenus proderunt quacunque manibus facta contractiones sive controrsiones, aut cujusvis generis exhibita medicamenta, ita ut ad ultimum remedium, peritonæi nempe sectionem confugere sit necesse.

Quæ quidem ut debito modo perficiatur, primum, secandus facie cælum versus, sive supinus sternendus est, atque adhibenda scissura duorum circiter digitorum latitudine supra eum locum, qui arcte conclusus est; quoniam ipso hoc loco sine manifesto læsionis discrimine jam peragi nequit.

*Factâ ad peritoneum usque apertura, in adversum latus componetur secti corpus, quo facilius intestina ab eo loco, in quo peragenda sectio, recedere valeant; immissoque in vulnus digito (qui butyro recenti aut oleo *Amygdalarum Dulcium* inungendus) intestinum molliter ac pedetentim loco naturali restituetur. At vero si tanta intestinorum copia erupisset, ut opus esset apertura la-*


O

tiori,

tiori, ad conclusum locum usque ea perducenda foret, supposito interim ad intestinorum tutelam digito aut specillo apto quod si intestina flatibus referta, unde operatio difficilior, acu (res etenim periculo caret) perforanda, quo eisdem exitus prebeat. Postremo repositis loco suo intestinis, vulnus, si ita res exigat, consuendum, ea methodo quam nos in ventris vulneribus adhibendam prescripsimus, ac tandem vulnere consueta in aliis ad movenda medicamenta.

Haftenus *Pigræus*, cujus accurata descriptio explicatione nullâ indiget, addemus tamen tabulâ singulari delineata instrumenta; eorumque usum paucis exponemus.

Locus operationi huic accommodus lucidus sit oportet, detineatur eo mensa pulvinaribus variis instructa, his imponatur æger, dorso incumbens, adhibitâ, vel, pro rei exigentiâ, neglectâ, artuum mensæque connexionem. Hinc cutim abdominis, ad duorum digitorum transversorum à processibus peritonæi distantiam, pollice digitisque manus sinistræ elevet Chirurgus, altera verò dextrâ manu, loco eo, qui ad latus muscoli recti, proximus est parti angustiori constrictæque, vulnus cuti partibusque subjectis infligat, de sanguinis fluxu, qui levior, haud sollicitus, sectione hâc institutâ, hamo lit. A. designato peritonæum elevet, quod manu levi, sensim differet, sedulo cavendo ne intestina subjecta cultello vulnerentur. Foramine in peritonæo facto, cultellum litera B notatum,



tatum, in extremo, ne partes subjunctæ lædantur, globo donatum, per illud inferat, ejusque ope, sursum, deorsum, ad latus hoc, illudque, pro placitu, peritonæum dissecet. *Pigrans* loco

cultelli dicti instrumento utitur lit. C. insignito, per hujus enim finum dum cultrum ducit, læsionis partium subditarum nullus metus.

Peritonæo disseccto indicem suum, imò, si possibile, cum eo pollicem, digitumvè alium, oleo lubricatos, dimittat in ventris cavum, ad usque peritonæi processum, ubi inveniet intestinum contortum, sæpius omento nexum, ad scrotum descendisse; hæc, digitorum incurvatorum ope, leviter trahendo, sursum in ventris cavitatem deducat. Operatio hæc feliciter, citiusque absolvetur, si manu alterâ, planiore, scrotum leviter commoveatur, ventri quo appropinquetur, sic enim convolutio intestini melius solvetur.

Hiscè peractis *vulneris* habenda ratio; intestina quod si extra vulnus prodierint, adeoque ab externo aëre alterata fuerint, flatu sæpius insuper dilatata, acu acutiore, locis variis, ad flatuum eruptionem promovendam, perforanda, ex doctrinâ *Pigræi*, hinc vulnus futurâ eâ claudendum, quæ *Pigrao* in vulnere abdominis curâ usualis est, tandem curatio ea obtinet quæ in vulnere aliis locum habere solet.

Suturam in ventris vulneribus convenientem, quæ *Gastroraphia* dici solet his verbis describit *lib. 3. cap. 2.* citatus *Pigraeus*. *Sutura hinc instituenda incarnativa etiam est; hinc peritonæum una parte acu perforandum est, alterâ manente integrâ, mox hæc pars perforanda, relictâ imperforatâ ei opposita, & sic procedendum, quo inter*

quam

quamvis perforationem carnis particula protuberet, sicquæ incarnatio, interiorque cicatrificatio promoveatur.

Explicatione prolixâ verba hæc haud indigent, per se satis clara; notari tamen necesse, acum, quæ hîc ad vulneris consuitionem usurpatur, falcatam debere esse, similem ei quæ fig. præced. lit. D. exprimitur, filum itidem duplicatum requiri, cerâ incrustatum.

Carnis cum mentionem facit *Pigraeus lib. 6, meth. cap. 2.* Musculos abdominis intelligit, futura hîc obtinet similis illi quem pelliones instituere solent, ubi alternatim utriusque lateris partes, exteriores, interioresvè, acu perforantur.

Audi quæ *Galenus* de vulneribus ventris imi proponit. *Ad id, inquit, ut intestina reponantur, vulnus ampliatur necesse est, hinc sutura eo modo instituatur, ut modo musculi cum peritoneo, modo iterum peritoneum cum musculis connectantur.*

Plura huc facientia qui desiderat legat quæ de gastroraphiâ habent, inter varios alios, *C. Celsus, Hier. Fabr. ab Aquapend. Jacob Guillemeau*, aliique. qui futurarum species varias, curiosas, facilesque, in vulnerum abdominis curatione summè necessarias describunt.

Supereſt, ubi, intestinis prolapsis repositis, gastroraphia hæc instituenda, utrinque ventris partes vulnere adſitæ manu molli ministri com-

primantur, quo minori cum molestiâ futura perficiatur, eaque sit certior.

Molestam hanc, licet dubiam, operationem ne fugiant Chirurgi, placet, observationem aliquam in canibus annotatam adductis addere. *Cl. Henricus Balsi, Medicus*, haud ita pridem in cane Lienem excindere volens, peritonæo illius magnitudinis vulnus inflixit, similiter ac ventris integumentis communibus, ut intromissorum digitorum ope & intestina miris modis loco suo dimovere, & lienem extra id extrahere, potuerit, hoc facto, institutâ futurâ eâ quæ pellionum est, vulnus clausum, brevisque canis curatus, qui etiam postea sanus vixit, impossibile dixisses, si quidem vulnus dictum, miramque intestinorum agitationem manu operatoris peractam, considerare licuisset, animal ullum, ita constitutum, vivere posse.

Capiti huic ut finem imponamus, Author sum, quoties occasio conveniens se offert, operationem hanc instituendi, nunquam eam fugiat Chirurgus, tanti periculi haud est, quanti eam habent varii, in morbo per se absolutè lethali, præstatne instituere remedium dubium, quo salvari posse ægrotantes ratio & experientia docent, quam nullum.

C A P. XLIX.


*De Enterocèle ex processus peritonæi laxitate
in Viro.*

NEc intestina, nec scrotum Herniæ causa unquam dici haberique possunt, sed tenera constitutio processuum peritonæi, his enim, levi ex corporis motu, dilatatis, antrorsumque extensis, imò, ut volunt alii, omni modo ruptis, facilis intestinorum ad aliena loca prolapsus.

Civis quidam Amstelodamensis, ficcioris constitutionis, ex inordinato pedum motu, dum ex sedili surgeret, subitò contraxit bubonocèlem, mox, ex prolapsu intestini in scrotum, Enterocèlem. Chirurgus se committere non audens, ex Herbario *Remb. Dodonæi*, qui in promptu erat, herbas florescè dolores mitigandi vi pollentes collegit, ex pharmacopœâ petita hæc medicamenta in lacte decoqui curavit, tumori que applicari; benè cessit negotium, dolor remisit, tumor imminutus.

Hoc in statu, sine ullo vinculi s. bracherii usu, solâ oleorum inunctione contentus, aliquamdiu vixit. Tandem cum in convivio quodam cibo potuvè ventriculum plus justo replevisset, in tumorem inguinis non solum sed & scroti incidit, periculosum non minus quam dolorificum, accedentè illicò intestini in scrotum prolapsu, horrendo adeò, ut & scroto rupturam, & ægrotanti mortem minaretur.

Vocatus inveni hominem pedibus manibusque ædes perreptantem, quod dolores ex rupturâ dictâ intolerabiles, in scrotum prolapsa intestina manibus tractare permittebat; causâ-
rant hæc tumorem ejus magnitudinis, quam figura hæc proponit.



Hæc eâdem figurâ indicare etiam placuit, quo loco *sectio* instituenda, ubi in scrotum prolapsa intestina digitorum ope fursus retrahenda, quâ de operatione Capite præcedente prolixius egimus.

Mifero nostro ægrotanti quo quantum possibile succurreremus, primò *Enema* aliquod ex emollientibus & anodynis paratum, ita tamen ut decocti minor adsumpta quantitas quam ordina-

dinario fieri solet, oleorum contra, ut *Amygd. dulc. verbasci &c.* major.

Ad inflammationem ex intestino, flatu, fœcibusque causatam, quæ gravis hîc aderat, *cataplasma* hoc præscripsimus.

℞. *Farin. Tritic.*

Hord. an. ℥ ss.

Furfur. Tritic. ℥ iiij.

Flor. Chamomill.

Sambuc. an. M. j.

Ol. Myrtill.

Rosar. an. ℥ ij.

Vini rubr. q. s.

M. F. Cataplasma.

Hæc interea dum præparabantur, nostrum fuit molliori manu, adhibitis linteis calidioribus, *intestinorum repositionem* procurare, quæ etiam benè successit, magna enim intestini hujus portio jam suo loco restituta, antequam præscripta pharmacopœus adferret.

Injecto hinc *Enemate*, applicatoque *Cataplasmate*, (quod post horam, duplici quantitate renovari curavimus) repositio intestini longè facilior fuit, integreque absoluta.

Repositum suo loco quo reservetur, consultum vinculum processui peritonæi dilatato applicare, ad eum modum formatum, quo parare ea solitus *Nicolaus Minnebroeder*, Chirurgus hujus loci, qui etiam varios simili malo affli-

Etos curaverat. Vinculum hoc haud differt ab aliis, nisi quod duplex fascia, utrinque una, ad maiorem firmitatem, ne deorsum decideret humero incumbat.

C A P. L.

De umbilici dissectione ab asciticâ muliere peractâ, ubi etiam de abdominis paracenthesi.

VErum equidem experientiam temerariam in Chirurgiâ & Medicinâ felicem interdum eventum, mali ad minimum imminutionem, commonstrare, quod testari passim scribit *Aquapend. part. 1. Chirurg. cap. 54.* Norfinos operatores, qui audaces nimis universam aquam hydropicorum ventre collectam paracentheseos ope evacuant.

Animus haud est Paracenthesin, aut eam instituendi methodum, describere, solum locum, qui eligi hîc debet, indicasse sufficiet.

Antonius Benivenius lib. de re occ. cap. 2. & Andr. Laurent. lib. 1. cap. 8. in ascite aquæ evacuationem per umbilicum apertum commendant; at operatio hæc variis displicet, idè quod ex arteria duplici, venâ & uracho constructus sit; ex his vena in ligamentum mutatur, (licet quandoque etiam in adultis pervia adhuc reperta fuerit, adeoque sanguini viam concedere potuerit) cujus beneficio hepar in situ debito, ne diaphragmati molestiam adferat, eo imprimis tempore, quo caput terræ proximum detinetur;

hoc

hoc quovis modò læso, sectione, erosione, rupturâ, hepar diaphragma premit, unde respirandi difficultas gravis inducitur, imò mors sæpius ipsa, qua de re legi possunt, quæ habent *Fabr. Hildannus part. 1. obs. 53. & Andr. Laurentius lib. 1. cap. 8.*

Sunt qui ab apertione umbilici, imprimis in hydropicis iis incrassatusque, in quibus retractus, valdè, abstinendum. præter jam traditas rationes, censent, quod facilissimum foret perforatione tali intestina tenuia lædere.

Sequemur adeoque *Fabr. Hildanum*, qui p. 1. obs. 58. in umbilico protuberante apertionem institui posse docet, eamque fructuosam valdè dicit.

Antonius Benivenius de abd. rer. causis c. 12. Historiam adducit alicujus Pueri, *Ascite laborantis*, in quo ubi aqua tanta collecta ut alvum nullam in partem movere posset, omni auxilio medicorum destitutus temerariam sibi libertatem vindicavit. Quare aqua quantum poterat epota in ultimum sese mortis discrimen malè sanus præcipitavit. Verum sive id aquæ contractæ, sive ope naturæ factum sit, soluta est umbilici unitas, indeque tanto impetu aqua profluere cœpit, ut supra ventrem cubitos tres adscenderet. Quo sanè vitam sinisset, nisi circumassistentes opposita manu aquam fluere permisissent. Hinc Medico accersito & aqua paulatimeducta, ac curioso victu & cæteris quæ ad rem facerent injunctis, brevi tempore in pristinam reductus est sanitatem.


Incon-

Inconsideratius, animosius licet, aquæ hydropicæ evacuationem per umbilicum procuravit *Elisabetha Christiani filia*, uxor *Nobilissimi Dn. Henrici Hoogkamers*, *Dynastæ in Petten*; diu multumque collectione feri in ventris cavola laboraverat, varia, sine ullo fructu, usurpata fuerant medicamenta. Videns ægra, nullis mediis morbum curari posse, quo affligebatur, sibi ipsi manum injicere Chirurgicam constituit, absente adeoque Viro, præsentē sola ancilla, præmissis ad Deum precibus, ope forficis obtusioris umbilicum ab aqua ventre contenta prominentem, aperuit, eductisque libris præter propter triginta sex aquæ hydropicæ, eundem futura commoda iterum clausit. Sequenti die umbilici apertionem, eductaque aquæ quantitate eadem, clausionem iteravit, eodem modo ac præcedenti die factum fuerat. Et hac paracenthesi duplici illud effecit, quod minori cum molestia incedere liceret.

Paucis elapsis diebus, quod incrementum novi feri hydropici observaretur, ex pago vicino, dicto de *Zyp*, Chirurgum advocavit, à quo, invito licet, novam umbilici refectionem exoravit, extracta æquali ferè serosi liquoris quantitate.

Evacuationibus hisce levaminis plurimum sentit ægrotans, at brevi elapso tempore recidivam gravem passa est, in tantam molem aucta aqua, ut coacta fuerit, *Alkmarianâ* civitate, in qua hætenus vixerat, relictâ, nostram accedere, cura-

tionemque gravissimi morbi quo laborabat Medicis celeberrimis *Francisco de Vicq & Joanni Deymanno* committere, quibus me adjungi voluit Chirurgum.



Præmisso usu *apozematis aperitivi* humores præparantis, auxilio instrumenti eam in rem confecti, levi manu, sensim per umbilicum (in quo fili reliquæ adhuc aderant) terebrando immissi,

immissi, singulis diebus duplici vice, aquæ eduximus medium pintæ, ne, ex consilio *Celsi*, cum præter naturam in ventre collecto, verè excrementitio humore, spiritus & calor nimium consumerentur.

Aquæ evacuatione peractâ, singulis vicibus foramini illi, quod instrumentum paraverat, plumaceolum imponebamus, & hoc *Emplastro Diapalma* satis magno tegebamus.

Hac methodo vires ægrotantis adeò auctas cernebamus, ut non solum per ædes, sed & plateas obambulare cœperit, imò conciones audire potuerit;

Medici interim frequentem sequentis conditioni usum, ad virium plenioram restitutionem, commendarunt.

℞. *Conserv. Rosar. rubr.*

Absint. an. $\frac{z}{3}$ ij.

Spec. Diarrhod. abb. $\frac{3}{4}$ ij.

M. F. Conditum.

Utebatur hoc singulis diebus quantitate nucis mosch. bono cum successu, & quidem ad aliquot menses.

Nec tamen, etiamsi detumesceret venter, coque in statu permaneret, periculi expers ægrotans nostra fuit, sensim enim corpus (forsan ex corruptione viscerum internorum ab illuvie putridâ) exarescebat, quo etiam marcore, viribus indies magis magisque consumptis, tandem interiit.

Instyrr.

Instrumentum, quo hæc in operatione usus sumus non inconueniens ducimus paucis describere.

Conficiatur hoc ex argenti laminâ, quæ dura ac firma, ne aliàs cuspis ejus imposita abdomini tenso incurvetur.

Cannula formam habeat, quo per eam liquor effluere queat; in fine acuminatum sit, quo leviter venter eo perforari possit. Circa cuspidem foramina quædam sint, per quæ aqua intrare cannulam queat. *Cuspis* ipsa haud sit nimis acuta; foramina quoque ampla satis requiruntur.

Cannulae adaptatus sit *stylus*, similiter argenteus, ejus longitudinis cujus cannula ipsa, ab orificio ad principium cuspidis; detinetur hic cannula, usque dum perforatio peracta, quamprimum enim instrumentum hoc in cavum ventris transit, stylus extrahitur, quo aquæ quantum desideramus effluat.

Modum operandi, quæque post operationem peragenda prolixè describit *Paulus Barbet. de Chirurgia cap. 15.* ubi cannulam hanc delineatam exhibet; at exigua nimis. *Tricuspidem* aliam idem eo loco proponit.

Expli-


Explicatio literarum
Tabulæ hujus.

A Stylus s. operculum
cannulæ acus.

B Orificium cannulæ
cui inseritur stylus.

ccc Cannul. acus.

D Foramina cannulæ.



C A P. LI.

De Paracentesi scroti, in herniâ flatulentâ.

SCrotum, cum Testibus, varii generis tumoribus tentari, *Pigraus Chirurgus* regius experientissimus *lib. 2. de Tumor. cap. 37 docet.*

Hier. Fabr. ab Aquapendente parte 1. de operat. Chirurg. cap. 75. Aquam in testibus congregari docet eam quæ ex imò ventre eo defluit.

At error est, meo iudicio, magni Anatomici, spatio enim eo quod est inter testiculum & tunicam, imò in scroto ipso, aqua sæpius colligitur, nunquam in testibus ipsis, nisi putrescant.

Capite eodem simplicem sectionem institui vult, quo aquæ exitus concedatur, quo ipso facillimum est colligere, sectionem hanc non esse perficiendam in teste, sed in solo scroto; confirmat idem *Capite 77.* ubi cutem diffecari debere tradit, foramine exiguo.

Guido de Cauliaco Tract. 2. doct. 2. cap. 7. herniam aquosam his verbis describit: *Hernia aquosa est apostema aquosum in bursa testiculorum: estque duplex: quedam est sparsa per totam bur-* sam, *quedam non est sparsa, sed inclusa in sacculo, ac si esset unum ovum, quæ potest duci per testem usque ad inguen, sicut testiculus; & aliquo-* ties subintrat foramen peritonæi.

Ex sententiâ nostrâ Herniæ aquosæ sedes scrotum est, in quo aquosa materia colligitur,

P

cui

cui innatant testes. Ortum hæc ducit quandoque ex musculorum Cremasterum extensione, aliquando ex transfudatione lymphæ per ductus ejus in processu peritonæi hærentes, nonnunquam etiam ex descensu circa musculos & cutem aquosi liquoris in scrotum ipsum. Et talis Herniæ facilis est curatio per sectionem, aut sectaculum, imò cannulam ipsam capite præced. descriptam. Vide quæ hac de re habet citatus *Guido loco cit. ex Galeno 14. Therapeut. cap. 13.*

Juvenis 28. circiter annorum, inguinali herniâ jam à longo tempore laborans ex paulatina defluxione humoris ab inguine sinistro tumorem contraxit scroti sinistri, quo cum obambulavit usque dum & magnitudo & pondus inhiberet. Curationis ergò me accedenti primò omnium *portionem Cathartico alterantem* exhibui, hinc *Resinæ Jalappæ gr. xvj.* ad serosorum humorum eductionem, quæ etiam ejus usu larga admodum fuit. Scroto applicabamus *Emplastrum* hoc, ad discussionem materiæ utile.

℞. Empl. de Melilot.

*Ranis cum Mercur. an. part. j.
Santalini. part. j. M.*

Post triduum tumorem hunc plurimum imminutum notabamus, quapropter in usu dictorum medicamentorum persistere necessarium, utileve, ducebamus, à quibus tamen, instante plenilunio, quod incrementum Herniosus hic tumor sumeret, abstinere cogebamur.

Elap-

Elapsis aliquot diebus, quod tumor nullo modo imminueretur, ad *paracenthesin* devenimus; ejus ope aqua educta tenuis, clara, dulcis, nulliusque fœtoris.

Peracta operatione *turundam*, instar cannulæ plumbeæ, *excavatam*, ex *Emplastro formatam*, (ne durities foret molesta) *Unguento Basilico incrustatam*, foramini imposuimus, non neglecto integumento necessario, ex *Cerato virginis* linteo illito.

Imò *subligaculi* commodi opera scrotum manibus sursum elevatum, in situ debito detineri curavimus.

Vix dies præterierant octo, cum insigniter detumuisse observaretur scrotum, undè ægro-tanti, qui antea vix incedere poterat, currendi concessa facultas, sine ullo incommodo.

At quod brevi tempore decrefcebat scrotum, brevior de novo increfcebat, perforationis adhuc præsentibus vestigiis, aqua etiam si nulla efflueret.

Vix menses effluxerant duo, cum, ad imminutionem magnitudinem ordinariam summo-perè excedentis tumoris, *paracenthesin* novam institueremus, *vulnere* ut antea deligato. Aliquot mensium tempore transacto, humoris in tumore augmentum nullum observare licuit, herniæ verò satis considerabile, undè, ad doloris mitigationem, de quâ gravi conquerebatur ager, *subligaculum* magis arctare, quo omenti, intestinivè descensus in scrotum melius inhibe-

retur, consultum maximè visum. At hoc factò, dictum factum aquæ collectio notabilior adeò ut brevi capiti infantis magnitudine æquaret tumor.

Laxato subligaculo eodem in statu permanebat scrotum, hic ad *paracenthesin* iterum refugere consultum videbatur, quam tamen loco altiore solito institui necessarium duximus, quod, quæ præcedentibus temporibus peracta aquæ minus exhibuisset, quam expectaveramus.

Humoris quantitate sufficienti eductâ, altero die & scroti inflammatio gravis, dolorifica valdè, & febris intensa, ægro æque ac nobis tristitiam inferebant. Præscriptâ adeoque *dieta* commodâ (prægresso etenim die iis quæ bilioso humori materiam præbere valebant largius iusto usus fuerat) *Cataplasma* parti affectæ applicavimus, nobis usuale, cujus utilitas summa fuit.

Medici interim, *Guilj. Pisonis*, fuit, *Purgantium* usu conveniente, *Venæ sectioneque* debitâ corpus ritè purgetur, curam gerere.

Inflammatione, dolore, intumescenciaque, scroti, remittentibus, durities insignis occurrebat. Hanc *fungosam* quandam *excrecentiam* constituebamus, cui originem dedisse suspicabamur læsionem quandam testem regentis membranæ, forsân & ipsius testis, instrumenti ad *paracenthesin* adhibiti operâ peractam; sententiæ hujus fundamentum singulare nobis habebat.

bebatur, quod longo adeò tempore aquæ innataverit testis, undè facillimum fuit mucum, cujus corruptio facilis, circa ipsùm congregari.

Duritie huic quo succurreremus, foramen scroti ampliavimus, & effluxit Materia serosa, purisque inæqualis quantitas exigua, circa foraminis fundum glutinoso residente humore. Ad humoris hujus sublationem utile judicavimus *Mercurii præcipitati* pulverem melli rosaceo crassiori mixtum parti affectæ applicare; ad duritiem verò partis corrigendam Emplastrum sequens

℞. *Emplast. Diapalm. dissolut.* ℥ ij.
de ranis cum Mercur. ℥ j.
Ol. de laterib. ℥ j.
Succini ℥ ij.
M. F. Emplastrum.

Mediorum horum usu durities sensim imminuta, imò curatio in totum peracta, quæ excellentior ex eo fuit, quod de novo hîc succrescens caro testis æque ac scroto unita fuerit, undè ex ventre ad scrotum descensus circa carnem hanc terminabatur, adeoque defluxio omnis aquosi humoris inhibita. Et sic, Deo nobisque gratias referens, integrè convaluit.

C A P. LII.

*De Aqua hydropicâ, in peritonæi duplicaturâ,
in muliere.*

QUIS Medicorum conjecturalem esse artem medicam negabit, qui quotidianâ experientia incertitudinis plurimum. eam possidere didicit.

Experientia fallax, judicium difficile *Hippocrati Aphor. 1. sect. 1.* habetur, imò nullam artem minus constantem inveniri magisque variabilem Medicinâ *Plinius* addit.

Incertitudinis hujus, mutabilitatisvè variæ, causam invenire haud licet, præter partium plurimarum occultos situs, naturæ lusus varios, humorum spirituumque miscelas diversas, unde actiones corporis integræ læsæve.

25 Mensis January Anni 1651. aperuimus cadaver *Dine Nicolai Thovelings*, quæ uxor fuerat Pictoris apud nos celeberrimi *Goverd. Flinkii*, jam à primis annis ventris laboraverat, cum tensione gravi, intumescentiâ magna, quæ tamen circa pubertatis tempora, ætatis nempe annum 13 aut 14 mirum in modum increvit. Menstruorum fluxus non nisi bis, isque parvus valdè observatus, ventre eo tempore leviter subidente. Nec tamen molestus hic ventris tumor, quo minus matrimonii molestias subiret, impedire potuit; nupsit viro nominato, gravida infantem peperit, at sine ulla ventris detumescencia.

Varia


Varia ad sublationem *tumoris* hujus usurpata media, variae institutae medicorum, Chirurgorumvè, consultationes, at irritus omnis labor; causam in aliud conjicere non licebat, quam sententiarum de vero morbi origine, veraque affecta parte, diversitatem. Fuerunt enim qui *Fungos divisos* ventris dictae extensioni ansam præbere statuerent; placuit aliis *Atheromatum fasciculos* mali causam dicere: *Vesiculas plurimas punitâ repletas* hîc hæere varii asserere ausi fuerunt. Imò, nec defuerunt, qui *Molam* adesse suspicarentur.

Præcipua Medicorum, Chirurgorumvè, in consilium adhibitorum, pars, *aquam ventre conclusam* in interstitiis viscerum hærentem, causam esse habendam voluit. *Clar. Walco A Medicinæ apud Leidenses Professore* probabile omninò videbatur (nec, sententiam hanc mutaret, ullis rationibus induci potuit) *serosum humorem sensim ad peritonæi duplicaturam destillasse*, ubi, collectione facta, tumorem produxit enormem.

Magni hujus Medici sententia quam vera certaue fuerit antequam demonstramus, considerari meretur, brevissimo temporis spatio, octo nempe dierum, in eam molem ventris tumorem fuisse auctum, ut tres partes accesserint, ad digiti transversæ latitudinem ventrem increscere, impossibile omninò dixisses, siquidem eum intueri concessum fuisset.

Addo, quod admirationem omnem superat, agilem eam adeò fuisse, atque in motu celerem,

ut nihil non, domestica officia spectans, cur-
rendo, stando, laborando, efficere valeret: pau-



cis ante mortem diebus, referente marito, turrim clivensem adscendere, descendereque sine ulla molestia potuit.


Misera tamen nostra interea temporis, quæcunque etiam adhiberentur media, ventrem magis magisque intumescere percipiens, tandem doloris gravitate quam maximè debilitata, quod nec sedere nec stare, sed manibus pedibusque repere cogeretur, in lecto decumbere coacta est, in quo vitam finire debuit, Deo opt. max. animam, nobis, causam gravissimi hujus morbi inquirendi gratia, corpus concessit.

In cadavere ejus figuræ, cujus apposita delineatio, primo *cutem* cultelli acie circa *umbilicum*, (quam ferè *cartilagineum* reperiēbamus) dissecuimus, & *aqua* limpidæ minimè scetentis quantitas *centum & viginti quinque librarum* effluxit.

Educta *aqua* *sacrum*, quem hæctenus ignorabamus peritonæum esse, ex quo liquor dictus effluxerat, in partes quatuor, cruciali sectione, dividimus, cujus fundum materiâ impurâ, lentâque obductum invenimus; rei novitatem admirabamur, qui pervenisse nos in ventris cavitatem putabamus, nihil viscerum reperiēbamus, *peritonæum* cuti unitum in eam magnitudinem extendi posse, qualis nobis occurrebat, nunquam admissemus, nisi oculis nostris in sequentibus fuisset exhibitum.

Partem adeoque peritonæi superiorem, circa mucronatam cartilaginem, costasque notas se-

separare aggressi sumus, quo facto in conspectum venere *hepar, ventriculus, intestina, aliaque*



A Saccus.

BB Peritonæi pars superior.

CC Hepar.

D Ventriculus.

EEE Intestina.

F Uterus.

G Ductus cæcus.

H Testis sinister.

I Vas deferens.

KL Vas deferens cum arteria &c.

viscera, integra, & benè constituta, præterquam quod *intestinum colon* plus justo contortum.

Uterus insuper sinistro latere benè se habebat, similiter ac *Tuba Fallopiana*, *Vas deferens*, *Testiculusque sinister*, quæ tamen partes omnes magnitudinis crassitieque erant excedentis.

Lateris dextri Testiculus deficiebat. *Vas deferens* & *arteria* (per quam menstruus excernitur sanguis in non gravidis) alieno detinebantur loco, uti in figurâ additâ litteræ K & L declarant, in ipsius enim peritonæi duplicaturam deferrebantur, quam pererrabant simili omninò modo ac ureteres vesicam urinariam, in quam etiam, sine dubio, sanguinem, imperfectumque semen, deduxerunt, materiam tumoris supra declarati.

Sanguinem menstruum per arterias in saccum hunc fuisse deductum inter alia demonstrare videtur, quod, instante tempore menstruationis, quavis vice, ventris intumescencia fuerit aucta.

Hisce sic consideratis, inquirere aliquis posset, *quomodo menses, qui statis temporibus fluunt, aquam ferè claram potuerunt producere? eamque ad aliquot librarum pondus?* Ad hoc quæsitum dicimus, verosimile nobis neutiquam haberi, sanguinem menstruum limpidæ aquæ materiam præbere, quin potius foetentem ex eo produci liquorem censeamus. At verò aquam hîc collectam ex parte etiam ex *uretere dextro* à rene descen-

descendente ad vesicam urinariam exstillasse, judicamus. Ductum enim hunc lit. K. signatum, errore naturæ, ad duplicaturam peritonæi, cum arteria spermaticâ, & ductu cœco s. Tubâ uterinâ transiisse, per, anatomen notavimus.

Et sic dissectionis nostræ operâ veritas sententiæ Cl. Dn. *Joannis Walæi* detecta, imò etiam paracentheseos in ægrotante hâc & facilitas, & utilitas, quam idem *Walæus*, cum Medico nosocomii nostri Dn. *Samuele Costero* valdè commendaverat.

C A P. LIII.

De Globo sclopetario variisque aliis in intestino cœco inventis.

INtestinorum communis usus est, cibum concoctum ex ventriculo recipere, hinc ulterius ablegare, canalibus idèò similia; non omnia tamen ejusdem conditionis, magnitudinis, crassitiei, longitudinis.

Crassioribus annumeratur *Cæcum*, quod non solum cœcum, sed & *monocolon* anatomicis variis appellatur, quod introitum equidem, exitum minimè obtineat. Sanè utrumque nomen jure ipsi competere censemus, quod nos, cœci, & monoculi, in verò ejus usu designando adèò cœcutiamus.

Primum intestinum, crassum, inquit Barthol. anat. lib. I. cap. II. dicitur Cæcum I. ob usum obscuro

obscurum quem habet in adultis, verum in foetu excrementa recipere dicitur.

In recentem natis infantibus intestinum hoc fœcibus repletum inveniri certum est; Excrementum enim in foetu nondum nato cultro auferre nobis licuit.

In adultis processus vermiformis non solum fœces nobis exhibuit, sed & alia excrementa, imò in subjecto quodam in nosocomio publico in gratiam discipulorum nostrorum dissecto observare nobis datum globulum sclopetarium minoris magnitudinis. Infantes intestinum hoc longum satis exhibent, at adultiores crassius. Usus alios his verbis anatomicus nominatus proponit.

Usus cœci intestini est 1. *Excipere excrementa, ne cum impetu semel dilabantur ad colon, generentque dolores, & semper excernere cogamur.*
2. *Ad chyli elaborationem aliquid conferre.*

Nobis siquidem liceret alium prioribus iungere, crassum adeò, corpulentumque intestinum hoc fabrefactum diceremus, ad id ut valvulam eam quæ ad principium intestini coli & finem ilei collocata, & excrementorum, vaporumque ad intestina tenuia regressum impedit, in suo situ conservet in variis enim brutis, canibus, felibus, aliisque, quorum cœcum breve, sacci formam habens, observare nobis licet, eò quod valvulâ coli careant, excrementa ad intestina crassa deferri, facileque hinc per vomitum, in quem valdè proclives ejusmodi bestię, ejici.

CAP.

C A P. LIV.

De Procidentiâ uteri falsâ.

Magno Socrati, Philosopho summo, imò & Antonio Juliano, Oratori Romano, ordinarium fuit, quoties de amoribus sermo habenda, facie testâ publico se exponere, eò quod quæ proponerent omnis reprehensionis expertia neutiquam esse, satis constaret.

Quam ergo pœnam non incurret ille, qui naturæ arvum, amoris omnis pudorisque fontem, perarare tentat, eum imprimis in finem, ut sententiæ Antiquorum quæ uterum muliebrem non tantum extra corpus prolabi, sed & in totum auferri posse docet, falsitas declaretur, præstare multis forsan videbitur ab incepto desistere, quam Clarissimorum Virorum turbæ adeò insigni, procidentiae extirpationi vè uterinæ possibilitatem probanti, sese opponere.

At verò non est quod me deferreant hæc similiaque, quin contra animosus, anatomico experientiae cultro armatus, quæ in destructionem figmenti dicti adferri poterunt, proponere aggrediar:

*Amicus Socrates, amicus Plato,
Sed magis amica veritas.*

E re studiosorum erit, Authorum variorum, qui vel per negligentiam vel per occupationes varias, uterum non solum extra corpus procide-

re,

re, sed & à Chirurgo auferri sine damno posse, docuerunt, sententias diversas, antequam quæ nobis obvenire exhibeamus, proponere.

Aëtius à Midea lib. 16. de re medicâ c. 78. Uterum ad magnitudinem ovi struthiocamelis extra corpus procidere posse, tradit.

Majoris extensionis aliis habetur, quorum etiam variis causam procidentiae, addere placet, vociferationem nempe, scæcum alvinarum excretionem molestant, casum, percussione ad femora, coitum indecentem, partum graviolem; videri possunt quæ hâc de re habet *Felix Platerus de part. procid. cap. 2.*

Aristoteles lib. 7. de hist. anim. cap. 2. Uterinæ procidentiae causam venereum appetitum excedentem dicit, eamque curari minimè posse nisi gravitatione.

Hier. Fabr. ab Aquapend. operat. Chirurg. part. 1. cap. 86. quid agendum sit docere studet, quoties ob ligamentorum, vel laxitatem, vel separationem uterus extra corpus prolapsus.

Fel. Platerus cap. 2. de part. procid. Mulierem cui uterus prolapsus concipere, imò etiam foetum ipsum circumgestare posse, scribit.

Vopiscus Fortun. Plempius Anatom. Cabrolii cap. 34. Uterum ad capitis magnitudinem procidere posse scribit, eumque incuriâ quadam putrefactum extirpari sine incommodo, sic ut etiam eo ablato concipere queat mulier.

Paulus Aegineta de arte med. lib. 3. c. 72. vivam pronuntiat mulierem, cui uterus abscissus.

Du

Du Laurens lib. 7. de part. gener. cap. 11. Agineta sententiam amplectitur, omnia bona promittens mulieri cui uterus ablatus.

Nec utero solo sed & renibus sine damno carere posse hominem *Theoph. Paracelsus Paramir. lib. 4. de orig. morb. matric.* scribit.

Jacobus Berengarius in Mag. anat. Langius Epist. 39. Tom. 2. Mercurial. lib. 4. genac. 21. & Ludov. Duretus in Holler. cap. 57. de morb. partic. Uterum muliebrem extirpasse se memorant sine ullo metu, sine ullo vitæ periculo.

Regius medicus *Fernelius* vidisse se refert parturientem quandam, cui uterus cum foetu incluso sine ullo vitæ dispendio ablatus; ipse licet *anatom. cap. 7.* uterum firmiter satis nexum referat non solum vesicæ urinariæ & intestino recto fibrillarum subtilium ope, sed & ossibus Ilium beneficio ligamentorum validorum.

Plinius & Soranus uterum muliebrem auferri sine periculo posse exemplo porcorum probare nituntur, quibus, ut delicatior em escam præbeant, uterus auferri solet.

Paræus Consiliarius regius lib. 23. c. 41. mentionem facit mulieris 30 annorum cui ablatus uterus.

Paræo assensum præbet *Franciscus Ronsetus de partu Casareo sect. 4. c. 5. & 6.* Uterque in sententiæ suæ probationem adferunt quod in dissectis cadaveribus pelvim quo loco uterus detinetur induratum observaverint.

Fabulis magis annumerari merentur quæ de
uteri

uteri extirpatione agentes *Avensoar lib. 2. c. 2.*
Anton. Beniven. de abdit. morbor. caus. cap. 11.
Wierius, Zacut. Lusitanus, Fel. Platerus, & plu-
res alii, adferre voluerunt, mulieres nempe qui-
bus uterus corruptus abscissus, non solum super-
stites permansisse, sed & liberos procreasse.

Hildanius è contra ex ore medici *Henrici Stapedii*, in responsione ad casum de uteri Ruptura à *D. Michaële Doringio*, medico propositum, exemplum adducit mulieris ab extirpatione uteri inordinatâ subito extinctæ.

Thomas Bartholinus cent. 2. hist. 91. historiam proponit à *Clar. Mothio* Medico communicatam, qua in nobili quadam, ab obstetrice secundinas auferre laborante, uterum, & cum eo vitam ipsam ablatam narrat. *Nobilissima*, inquit, *Matrona Chilonii Holsatarum* 15 ante filiorum mater, foetum vivum, quem 40 hebdomadibus commode satis gestaverat, semihoræ labore, sine ulla molestiâ feliciter 1642. exclusit remanentibus tamen more hujus puerperæ secundinis, quas cum obstetrix, ut solita fuerat, solvere & extrahere conatur, una cum secundinis uterum, quanquam inscîa, extraxit. Inter operandum puerperæ sciscitanti quomodo negocium succederet, respondit: secundinam se quidem habere, sed subsequi carnis partem sibi incognitam. Adstantes fœminæ, molam esse credentes, sibi que sæpe id evenisse, obstetricem ad extrahendam carnem exstimulant, quæ omnia, etiam validiore manu, irritò conatu, & remittente carne, jussa exsequitur. Advocatus

Q

D. Mot-

D. Motthius, sine voce, nutu, & pulsu puerperam invenit, mortuamque verè pronunciat; occupatâ deinde obstetricis sedè, immissaque sub lecti stragulis manu, ipsum uterum integrum, marsupii instar propendentem, & ab utroque latere perforatum obstetricis digito, deprehendit, adstantibusque monstravit, verè tunc mortuam jero credentibus.

Idem cent. 1. hist. 97. carnosæ excrescentiæ in utero ex casu obortæ, libras quatuor cum media pendentes, mulieri lethalis, meminit.


Plura antequam hîc proponemus, necessarium omninò ducimus, uteri partiumque connexarum delineationem exhibere; hac enim legitime consideratâ, cuivis constabit impossibile esse uterum, necessarium adèò generationis organum, ex corpore mulieris auferre, integra permanente procreatione. Et ea ex communicatione *Anatomici Hagienfis incomparabilis curiosissimique Dn. Freder. Ruschii*, factâ collatione cum utero balsamò condito, ab eodem nobis exhibito, non neglectis iis, quæ ad pleniorè cognitionem patefecere obltetrices variæ.

Locum natura utero & amplum, & tutum concessit, inter vesicam urinariam, & intestinum rectum, quæ hic duplicis pulvinaris vices subeunt. Medius hic est quo in æquilibrio servetur corpus.

Componitur quoad structuram ex tunicis, venis, arteriis, nervis, & ligamentis.

Tunicæ hîc duæ, interna una, altera externa.

Hæc



A Arteria spermatica sinistra ab arteriæ magnæ trunco oriunda.
 B Vena spermatica sinistra ab emulgente ortum ducens.
 C Vasorum spermaticorum præparantium implicatio.
 DD Testes muliebres.
 E Vasa lymphatica ab utero & testibus orta, lymphamque ad receptaculum chyli amandantia, quod ex valvularum structurâ constat.

F Vasorum spermaticorum præparantium propagatio ad uteri corpus.
 GG Tubæ Fallopianæ.
 HH Nervosæ particulae pro vasis ejaculatoriis habita.
 I Uteri fundus.
 KK Vagina.
 L Collum uteri.
 MM Alæ vesperilionum seu ligamenta lata.
 NN Ligamenta teretia.

Hæc originem sumit à peritonæo, *illa* carnosissima est, magis quam ulla membranarum infima ventris. *Fibrarum* triplici constat ordine, quarum ope attractio, retentio, & expulsio perficiuntur. crassities harum tunicarum increfcit de crefcitque pro diverfitate ætatis, temporis, menftruationis & gravidationis.

Venæ duplicis conditionis funt, utroque latere una, *superiores* quædam, quædam *inferiores*. *Superiores* à *fpermaticis* procedunt antequam *Testes* accedunt, uterinumque fundum & collum pererrant. Eadem ratio *arteriarum*. *Inferiores venæ*, fimiliter ac arteriæ ab *Hypogafticis* deveniunt.

Nervi non folùm à *sexto pari* nervorum cerebri deveniunt; fed & ex *spinali medullâ*, quæ osse facro detinetur.

Ligamentorum, quorum ope & vicinis partibus nequitur uterus, & in fuo fitu confervatur. duo funt paria, horum *duo fuperiora* funt, *duo inferiora*.

Superiora continuationes atque appendices funt peritonæi, cornibus feu *Tubis Fallopiam* connexa. *Inferiora* teretia funt, validaque nervofa, intus excavata, hæc ex latere fundi uterini descendunt, ubi circa inguina tendines mulcuiorum obliquorum abdominis attigerunt, eo perforant, mox varias in partes divifa, unâ earum, quæ breviffima, circa Clitoridem os pubis accedit. alterâ longiffimâ, membranam adipoſam, cum quâ non ſolum femoris magnam partem

partem adit, sed &, si fides habenda *Riolano*,
sist. 1. ana. cap. 32. ad extremam pedis excur-
 rit.

Ligamentis hisce imputari debent varia, ea-
 que magno numero mulieribus obvenientia,
 Tumores nempe inguinales, stupor pedum, do-
 lor femorum, plantarumque pedum, articulo-
 rum circa pedem extremum, collique vesicæ
 urinariæ, juxta imò resolutio universalis par-
 tium corporis totius superiorum æque ac infe-
 norum.

Proposita quibus haud sufficiunt, adeant scri-
 pta anatomica quæ exhibuerunt *Joannes Riola-
 nus*, *Joannes Veslingius*, & *Thomas Bartholinus*;
 quam arctè vasa spermatica, ligamenta, mem-
 branaeque utero uniantur, imò uterus ipse pe-
 rionæo, vesicis feminariis, intestino recto, tu-
 nicæ ossis innominati interiorem superficiem in-
 vestienti, præter varias partes alias, sensiles,
 insensilesque, quantum satis erit declarabunt.
 Ut aded cum *Riolano* partem uterum necessa-
 riam pronunciare teneamus, similiter ac Testi-
 culos, attamen minimè divisibilem.

Partium enarratarum structuram, connexio-
 nemque legitimè perpendens, quis non videat,
 quem facillimum sit gravidas, imò sæpius etiam
 non gravidas, vitiò quodam superveniente, gravia
 etque plurima molestare symptomata, huc do-
 lores intolerabiles, febres gravissimæ, aliaque,
 imò mors sæpius ipsa, quæ, ubi abortivorum
 adusio indebita mulierem affligere solent.

Ulterius quod si procedamus, quæ non malorum caterva sese offert quoties in mulieribus etiam non gravidis menstruorum excretio supprimitur? fluor albus hic occurrit, palpitatio cordis, febres erraticæ, deliria gravia, nausea continua, pica, chlorosis, & centum alia, quorum causa uterus, ut adeò haud inconvenienter uteris *Hippocrati lib. de locis in homine* 59. omnium malorum, quæcunque mulieribus obvenire solent, causa dicatur.

Rebus sic se habentibus tanto inter uterum partesque alias existente consensu, tanta connectione, quis Chirurgorum extirpationi ejus admoveret manum, quis, qui symptomatum ipsius dispositioni prævæ supervenientium ullam rationem habet?

At non sine ratione hîc aliquis in naturam ejus, quod veteres, imò & recentiorum plurimi, uterum prolapsum appellarunt, quod restituisse, imò sæpius abstulisse sine ullo damno referunt, inquireret. Vix enim scriptorum ullus occurrit qui non de affectibus mulierum agens Procidentiaæ uterinæ mentionem faciat, causas ejus exponat, imò & curationem proponat.

Sunt etiam qui, procidentiaæ hujus differentias exhibentes; ad genua ipsa corpus hoc, quod uterus habetur, prolabi posse tradunt.

Quod si scriptores hi illud laboris sumerent, ut ligamentorum uteri aliformium structuram examinarent, firmum id adeò, firmiterque vicinis connexum reperient, ut impossibile sit se-

para-

parationem hinc ullam dari, nisi quæ cultri acie peragitur, sicut nullo pondere extrorsum moveri queat.

Casus nonnullos rariores, qui vel nobis ipsis occurrerunt, vel Medicis Chirurgisvè aliis, primò hinc proponere necessarium utileve ducimus, antequam ad rem ipsam deveniamus, quidque de uterinâ procidentia, de qua tam multa scripserunt varii, statuendum sit, declaremus.

Primo loco consideratione nostrâ omniumque qui in hac re informari desiderant, dignum est, quod in gratiam artis Chirurgicæ cultorum his verbis *Cent. 2. hist. 58.* proponit *Thomas Bartholinus*. *Vidi inquit Vir Celeberrimus in Nosocomio Patavino 1641. dissectam mulierem, quæ prolapsum uteri à partu difficili antè 10 annos passa sedebatur. Narravit se in prato cubantem observasse descendere uterum, gramenque venari. Ex illo tempore indies crevit ob affluxum sanguinis, ut distensus nigerque in putredinem degeneraverit. Judicabat Chirurgicas operationes nobis demonstrans P. Marchettus, non esse uteri procidentiam, sed excrescentiam aliquam in vaginâ uteri, adeoque abscindendam. Alter Nosodochii Chirurgus familiaris pro uteri stetit procidentia, cum excrescentia subitum ortum, incrementumque habere non possit. Mulier interim secari volens, inter ambigua consilia ad mortem properavit. In aperto cadavere, satis in trunco obeso, sed artubus emaciatis, uterum suo loco sanum beneque constitutum vidimus, excrescentiam verò*

ex uteri vaginâ dilaceratâ pendulam, cum labiis pudendi, ex lue venereâ forsan inflammatis.

Accedit casus priori ferè similis, quem & nobis & publico communicare placuit Medico hujus loci experientissimo *Dn. Francisco van aer Schagen*, quo quæ omni tempore sibi perlualebat, nunquam scilicet uterum verum profunde adeo extra corpus prolabi posse, uti quidem veterum recentiorumque crediderunt plurimi, nec ullo tempore extirpatum eum fuisse sicut in vivis non solum permanferit mulier, verum etiam prolifera; quin potius ablatum fuisse aliquod partibus genitalibus, extra uterum, adhærens, vera esse observasse se testabatur. Verba quibus casum hunc proponere placuit hæc erant.

Ante annos aliquot cadaver aperui mulieris alicujus consistentis ætatis, hydropè imi ventris extinctæ, quod jam à longo tempore uteri procidentia laborasset, omittere haud potui quin in veram ejus constitutionem inquirerem, dissecto proinde abdomine, intestinis ad latera inclinatis, uterum non solum quoad externa legitime se habentem reperi, sed & loco debito collocatum; at quod pudendi labiis continebatur, pro utero prolapso semper habitum, nil nisi vaginæ seu colli uterini partem eo extensam notavi, quale quid, dum laxantur tunica, facile contingere posse quisvis concedet.

Placet jam *extirpatum uterum* oculis Lectoris curiosi exponere, quo figmentis circa ejus procidentiam, abscissionemque à variis propositis, fidem ulterius dare desinat.

Anno

Anno 1659. die nativitatis Christi, quo & consilio, & operâ inserviremus Chirurgo hujus Reipubl. celebri. *Henrico Roonhuijsen*, cum *Clarissimis, Experiëntissimisque Viris Dr. Dn. Arnoldo Tholinæ, Guiljelmo Pisone, Marthæo Slado, Medicis, Dn. Georgio van Loon, Chirurgo*, mulierem accessimus 35 annorum, cujus pudendis unitum corpus insigne, ponderosum, foetidumque, collo tenui deorsum extensum, uterus hoc habebatur omnibus ad pedes prolapsus; in quâ etiam sententiâ peristere placuit variis, postquam extirpatum, maximè quod uteri cornua, vasa cœca, cum Testiculis in eo observasse se sibi persuaderent, cui tamen nobiscum alii se opponerant, eò quod, siquidem possibilis esset uteri procidentia, partes dictæ exterius haud forent conspicuæ, sed in inverso continerentur utero; hac ratione fore addebatur, ut similes omninò evaderemus Medicis Chirurgisvè regiis *Dn. Gaudin, la Fuere, Paræo, & Jacobo Guillelmean*, qui in utero prolapsa alicujus mulieris, nondum abscisso, & Testiculum, & abortivi foetus tunicam corruptam notarunt. Vide *Paræum lib. 24. cap. 48.*

Diebus aliquot elapsis quid de re enarratâ, peractâque, quæ dubios nos valdè fecerat, controversiisque variis ansam dederat, statuendum, constitit; sanam enim observabamus mulierem, menstrua ex debito fluere, imò graviditatis signa quædam occurre; plura huc facientia scire qui desiderat *observationem secundam*

Partis primæ Dn. Rodenhuyſen conſulere poterit.

Hiſtoriis enarratis noſtram jungere ordinis ratio exigit, exhibebit ea non ſolum in vivente muliere procidentiam imaginariam, Chirurgica manu ablata, ſed & in cadavere diſſecto, quid ejus nomine veniſſet iis, qui ante mortem inſpexerant, corpus extra pudenda propendens.


Mulier 53 annorum, *Paryntje Roofa* jam à longo tempore fluxu menſtruali, primo ſanguineo, hinc albo laboraverat, unde imaginariam contraxerat uteri procidentiam cum febre intenſa, virium deſtructione, corporiſque extabefcentiâ ſummâ; Corpus hoc prolapſum inſignis erat magnitudinis, jam gangrænâ correptum, pondere ſuo valdè moleſtum. eam nobiſcum viſitarunt *Dn. Jacobus Vallan, Birrius, Bouwmeeſter, Tobias Andrea Medici, & Jacobus Odenaal, Chirurgus.*

Reinſpecta, arduum multis videbatur, & non niſi cum vitæ interitu perfici poſſe, uterum ita prolapſum exſtirpare, haud enim induci poterant, utri hoc minimè corpus eſſe credere, cujus cum corde, hepate, cerebro-maximus conſenſus, quo etiam mulierem deſtitui poſſe impoſſibile.

Urgebant alii exſtirpationem, ex eo quod & veterum & recentiorum ſcripta, actaque eam poſſibilem haberent, ſæpiuſque ſine ullo ſanitatís diſpendio peractam teſtarentur.

Probabilius nobis videbatur, cui etiam ſenten-

tentiæ non unus accedebat, corpus dictum, insigniter adeò tumidum, fœtidum, pondereque summo molestum, extra pudenda muliebria ad pedum genua dependens, ipsius uteri corpus haud esse, sed solam ejus tunicam internam, dum in statu sano reliquis unitur, variis modis rugosam, extra pudenda, plicis variis solutis, ipsaque à subjectâ tunicâ mediâ separatâ, pro-



Delineatio procidentiaë imaginaria, ubi

- A** Corpus ipsum propendens extra pudenda.
B Collum ejus.

lapsam.

lapsam. Tunicæ hujus procidentia occasione primam dedisse suspicabamur humorum impuriorum, acriumvè fluxum diuturnum, undè vasorum sanguineorum tunicam eam accedentium corrosio, eamque insequens sanguinis extravasatio, atque loco præternaturali collectio, imò ob humorum copiam expressione, laxitatevè vaginalis hujus tunicæ ad exteriora protusio.

Mulier pondus dictum circumgestare coacta, scetorem summum diutius perferre nequiens extirpationem urgebat quam maximè. Arduum sanè omnibus habebatur eam instituere, nec tamen occasionem oblatam, quæ fronte capillata, posthæc calva, negligere licuit, sic enim constare posse credebamus, quid veritatis falsitat svè insit decantatæ antiquorum, recentiorumque variorum sententiæ, qua uterum muliebre extra corpus procidere, imò sine ullo vitæ graviditatisque infecuturæ dispendio auferri posse docetur.

Consultatione debitâ institutâ, opus magnum, non sine mortis prognosi, aggredi constitutum. *Operationis* hæc fuit methodus. Primò ligaturâ arctâ fasciæ firmioris ope institutâ, collum corporis dicti coarctabatur, mox intra ligaturam & corpus prolapsum, cultri acutioris operâ, instituebatur abscissio. Fasciæ ad colli constrictionem adhibitæ portio notabilis relinquebatur, ad id, ut, siquidem è vivis discederet ægrotans, & nobis cadaver disseccandi occasio

con-

concederetur, ejus ductu in partis amputatæ radicem deduceremur. *Exstirpatione* peractâ sanguinis fluxus nullus observabatur, ad quem tamen stypticum aliquod loco vulnerato applicabatur, licet in totum eum attingere haud concederetur, propterea, quod illicò, abscissione peractâ, introrsum duceretur pars ea cui fascia injecta.

In diem usque quartum omnia bene se habebant, at circa sextum, septimumvè vires valdè imminuebantur, febris contra & animi deliquia augebantur, sic quidem ut brevi Deo animam nobis corpus exhibere cogeretur.

Ad *anatomem* ejus admissi, *ventris imi integumentis* dissectis, *uteri* examen instituere primum duximus, hic enim quid de uteri prolapsu, prolapsique extirpatione, statuendum, clarè constare posse, credebamus.

Quoad externa nihil in eo observare nobis licuit, quod constitutioni morbozæ annumerari queat, nihil hic deficiebat, non solum in utero ipso; sed & vicinis partibus generationi dicatis; *Coloris* erat albicantis, pyri complanati *Figuram* habens.

Hiscè sic perspectis, ossiumque pubis divisione, eo loco ubi cartilago interposita ea jungit, peracta, uteri totum corpus, cum partibus annexis, qua fieri potuit dexteritate, à partibus vicinis quibus connectebatur, separavimus, separatumque convenienter tabulæ imposuimus.

Hic quoties fascia extra pudendum pendula,


cor-

corporis abscissi radici adhuc alligata movebatur, nullo modo movebatur uterus; cogebamur adeoque vaginam uterinam secundum longitudinem corporis disseccare, quo, cuinam parti alligata esset fascia dicta, quidque fuisset illud quod extirpatum, constaret. *Apertione* facta fasciæ ductum secuti deveniebamus ad mali principium, portionem nempe tunicæ internæ rugosæ, vaginam præter alias constituentis, post oblationem portionis reliquæ quæ laxitatis nimie culpa extra pudendum prociderat, in utero relictæ, cui strictè admodum fascia erat juncta. Terminus hic orificio uteri interno vicinus valdè.

Quis ergò non videt, veteres hæc omnia necessario latuisse, quod in rei veritatem, qua decebat curiositate, haud inquisiverint; Procidencias uterinas quas observasse se, imò extirpasse referunt, sic tamen ut sana permanerit ægra, satisque fœcunda, quomodo veras, fuisse probabunt? Sane multa cerebro nostro fingimus, quorum falsitatem dissectiones cadaverum evidentissimè patefaciunt. Ut in variis casibus aliis, ita in hoc proposito verum id observare licuit Vanam esse procidentiam uteri perfectam, adeoque impossibile omninò mulieri uterum totum auferre, integra manente vita, salvaque conceptione.

Observatio hæc, præter alia à nobis hoc capite proposita, planè satis edocere Chirurgum juniorem poterunt, quænam agenda quoties,

ex



**Delineatio uteri cum partibus genitalibus
connexis prout Tabulæ imposita.**

A Uterus. B Collum uteri. C Orificium uterinum.
 D Pudendum. E Vescica urinarie cervix. FFF Vagina dissecta. G Corporis abscissi collum fasciâ constrictum. H Fascia. II Ligamenta uteri inferiora.
 KK Tubæ Fallopianæ. LLL Ductus cæci. MMM Ligamenta lata. , NN Testiculi. OOO Membrane.

ex affluxu imprimis humorum, vaginæ dictæ tunica interior, laxior justo reddita, hinc extensa procidentiam nostræ similem, spuriam omnino, producere notatur; nihil est quod hic extirpationem impedire queat, modo vires ægrotantis eam permiserint, insistere hic licet tuto vestigiis Medicorum Chirurgorumque eorum, veterum æque ac modernorum, qui procidentiam uteri auferri posse sine damno volunt; modo quæ illi toti utero applicarunt, nostunicæ ejus rugosæ tribuamus. abstulerunt fateor antiquiores uterum prolapsum aut non nisi imaginariam, nil enim nisi tunicam dictam extirparunt, quod facillimum, imò nullius periculi opus; quam etiam operationem aggredi tenetur Chirurgus, siquidem inflammationes, gangrænæ, exulcerationesque graviores, accesserint, imò ægrotanti difficillimum, partem prolapsam protuberantem intra vaginam detinere. Pessaria equidem in tali casu usurpari, imò usurpari posse, probè scio, aut cum, fera liquefacta denudetur faciliè lignum, quod ea incrustatum, non potest fieri quin vasa sanguinea uterina, ob corporis motum agitato ligno, aperiantur, unde sanguinis fluxio continua (quæ menstruatio immodica vocari consuevit) cum virium destructione, corporisque extirpescetia.

Adesdum itaque Chirurgicæ artis cultor, quænam uteri procidentia in Chirurgia occurrat percepisti; quomodo per extirpationem auferri queat sine periculo, quidque antiquorum

dogma-

dogmata in hoc negotio fidei mereantur, vel saltem qua methodo errores eorum tegere liceat. procidentia talis quoties offertur alacri animò exstirpationem aggredere, facilis æque est curationis ac vitia corporis varia alia, sola hîc ut percepisti tunica vaginæ rugosa extrorsum protrusa tollitur, minimè uterus ipse. Non ita pridem similis conditionis uterum prolapsum ægrotanti valdè molestum, minoris licet extensionis, auferre mihi licuit, bono cum successu. Quod si occasione data prolapsum ejusmodi uterum tollere concedatur, intrepido id perficere animo allabores quæso, sic enim ægrotanti salus, antiquitati errorum correctio, recentioribus veritatis indagatio adferetur.

Historiæ huic antequam finem imponamus, utile quam maximè videtur, qua methodo *Exstirpatio* dicta perfici queat, imò debeat, paucis declarare; instrumenta ad operationem hanc necessaria exiguo numero comprehendi possunt, sunt ea cultellus falcatus acutus, fascia, medicamentum stypticum, ligamenta circa extrema divisa, ex linteo molli antiquo parata, similia iis quibus iythotomus uti solet.

Ægrotanti mensæ incumbenti ligamentum hoc primo omnium applicetur, factò circa ventris anteriora nodo, hinc fascia injiciatur collo corporis prolapsi, fiat constrictio arctissima loco vaginæ proximo; hoc factò, sinistra manu, quo fieri poterit robore, corpus prolapsum at-

trahatur, dextra cultro dicto armata loco inter

collum constrictum & partem reliquam prolapsam intermedio, auferatur. Exstirpatione dicto modo peracta, loco vulnerato, ad quem facile manum Chirurgi ducet fascia eidem ad huc nexa, pulvis seq. stypticus cum albumine ovorum applicetur, splenisque debitis impositis deligatio conveniens instituat, ad quam ligamenti primo loco ventri ægrotantis applicati extremitates conveniunt. *Medicamentum stypticum*, quod delicatula valdè sit vagina seq. modo conficitur.

℞. *Farin. Consol. maj.* ʒ ij.
Gortic. querc. subt. pulv. ʒ ij.
Nuc. Gallar. ʒ ij.
Cupress.
Balaust. Sang. Dracon.
Boli Armen. ver.
Lapid. Hematit. an. ʒ ij.
Alum. ust. ʒ j.
F. Pulvis.

Die seq. *injectio* potest fieri ex infra scripto, bis quo vis die ad tollendum dolorem.

℞. *Fol. Malv. Verbasci.*
Alchimill. an. M. j.
Caudæ equin.
Plantag. an. M. ʒ.
Flor. Rosar. Rubr. ʒ ij.
Sem. Lini. ʒ ij.

.Ma-

Mastich. Oliban. an. ʒ ij.

*Coq. in aq. pura, F. Colat. ad ʒ xx.
in eâ dissolve Mell. Ros. ʒ j. ʒ.*

F. Injectio.

Die uno alterove his medicamentis consumpto, ad majorem mundificationem seq. *injectio* usurpari potest.

℞. Rad. Consol. major. ʒ j.

Fol. Ruthæ. Scordii.

Hysop. Artemis.

Flor. Rosar. Rubr. an. M. ʒ.

Summ. Absinth. ʒ ij.

Coq. s. a. in vino Gallico, Colat. adde

Liquor. Egypt. ʒ ʒ.

Mell. Rosac. ʒ j. ʒ.

Ung. de Apio ʒ j. ʒ.

M. F. Injectio.

Ad aliquot dies *injectio* hæc usurpari potest quod si pus, albicantis coloris, minori copia quam antea se exhibuerit, seq. *injectio* ad exsiccationem majorem consolidationemque priorî misceri potest.

℞. Tut. Prepar.

Lap. Calamin. prepar. an. ʒ j. ʒ.

Sief. Alb. Rhaf. ʒ j.

Bals. Sulph. ʒ j.

M.

Et brevi tempore sine omni dubio curatio absoluta.

CAP. LV.

De Imperforatâ quadam Epistola ad virum celeberrimum Dn. JOANNEM VAN HORNE, Anatomes Profess. Lugd. Batavum.

DOMINE.

Ultimas nostras ad te missas, quibus dubia quadam curiositatis gratiâ solvebantur his concludebamus verbis:

Quod si quadam rarius occurrentia in arte nostra se exhibuerint, haud intermittam quin eorum te participem reddam.

Accipe ergo, Vir Celeberrime, haud adeo admiratione dignum, quam rarius occurrentibus annumerandum quod civitas nostra mulieres tales qualem hîc proponimus rarius exhibeat.

Propositum minimè nobis de puellis agere, sed virginem exhibebimus adultiorem.

Rensje Eeltjens, ex Frisia oriunda, Amstelodami licet nata, virgo robusta, annorum viginti duorum, & alvi & urine excrementa legitima quantitate, debitoque tempore, deponebat, menstrua verò necdum observaverat, satis licet annosa; Urine tamen excretio tandem valdè interrupta fuit, forsân quod materia serosa ventris cavo colligeretur, brevi enim abdominis tensivo tumore correpta. Accedebant pressiones dolorificæ gravissimæ circa pudenda, vehementes hæ adeò fuerunt, ut vestimenta lacerare, omniaque turbare coacta fuerit, imo desperatione mota violentas sibi

intulisset manus, ni soror impedimento fuisset.

Quaecunque ipsi praescripta fuerant medicamentaplus noxae quam commodi attulerant.

Dissentientium medicorum Chirurgorumque ingens satis hic numerus, unde factum, quod quaecunque usurparentur nihil omnino effecerint, adeoque ansa data fuerit vulgo, Medicorum Chirurgorumque inscitiam magis accusandi, quam statum agrotantis desperatum deplorandi.

Fuerunt qui causam horrendi symptomatis menstruorum suppressionem constituerunt, ex vasorum uterinorum praeternaturali angustia ortam.

Alii graviditatem subesse suspicabantur; alii denique veneficio rem totam adscribere haud detrectarunt.

Petrus Potgieter, Chirurgus, publico salario ad id obligatus, ut parturientibus pauperibus in casu necessitatis succurrat, uterum ad orificium externum prolapsum statuebat, quod vitium manuale operatione corrigere tentabat, sic tamen ut capiti insisteret agrotans.

His aliisque sic frustra usurpatis, vaginam uterinam imperforatam esse, sic ut ingressus aequae egressus negaretur excludendo aequae ac admittendo, eo quod membrana validâ orificium clauderetur, innotuit.

Membrana haec Medicis variis excrescentia habebatur carnea, aliis carcinoma, aut aliud incurabile malum. in re adeo dubia certi aliquid quo constitueretur, Medici Chirurgique alii prioribus juncti, inter hos & me accedere voluerunt consanguinei.

Inspectione conveniente habitâ, portam eam angustam per quam Cæsares, reges, mendici, omnesque ordinis homines, mundum hunc intrant, membranâ quadam incrassatâ clausam invenimus, cui simile exemplum Hildanus part. 3. obs. 60. & 61. proponit; Clausura hac arcta adeo observabatur, ut digito nullus concederetur introitus, unde factum quod menstrualis sanguis, indies acrimonia, mense quovis quantitate, auclius, ad locum angustatum fuerit collectus, quæ causa repletionis, tensionis, intumescencie, dolorisque summi.

Hoc in casu medium nullum excogitari posse indicabam, quam instrumento commodo vaginam aperire, & quia ad modum eum quem in ancilla ferè mortuâ exercuit Fab. ab Aquapendente part. 1. oper. Chir. cap. 82. & Wierus lib. de præst. Dæmon cap. 38. in virgine Craneburgerst. Assentiebat agrotans, suadebant idem Chirurgi medicique presentes.

Operationis modus quis fuerit, antequam proponamus, duo hac consideratione nostrâ digna occurrebant. 1. Annon exiguo quodam foramine membranam dictam perforare necessarium, ne materia intus collecta confertim nimis effluat, cum virium prostratione summa, quale quid in apertione abscessuum magnorum observamus.

2. Annon sectio quædam hic institui debeat cruciata, quam commendat Corn. Celsus lib. 7. cap. 28. ne ledatur via urinaria.

Ad primum respondebam, vix eam humoris copiam hic collectam esse, quæ equiparari queat, pond-

ponderi foetus recens nati cum annexis, nec tamen puerperas calore, spiritibus, roboreque præter modum semper destitui.

Ad secundum, sufficere hic sectionem simplicem, quæ a parte inferiore deducatur ad superiorem, quo, etiam jam effluente materia, apertio continuari queat, nec humor exiens eam inhibeat.

Operatio ipsa hoc modo instituta. In dorsum prostrata virginis crura utrinque primo ad latera depressa, quo labia pudendi magis distarent, hinc lancollâ dissectio membranae obliquo ductu ne orificium vesicæ urinariæ lederetur peracta, illico materiae impuræ, aliquomodo foetentis, colore & consistentia hepatis comminuto similis quantitas ea effluxit, quæ librarum quatuor cum dimidia; nocte sequenti ejusdem humoris quantitas major se exhibuit; parciior hinc ast alterius conditionis.

De eventu suo tempore certiores te faciemus, interim tuum erit Hymen, an membrana incrasata imperforata vitium hoc appellari debeat, determinare. Operationi dicta adfuerunt.

ARNOLDUS THOLINX.

FRANCISCUS vander SCHAAGEN.

JOANNES DEYMAN.

SIMON DILLEMAN.

ADRIAEN REYNIERS, Medici.

GEORGIUS van LOON, Chirurgus.

Vale vir magne in commodum Reipubl. medicæ, & nominis gloriam æternam, favereque perge

In nullo non inservire

Tibi paratissimo,

JOBO à MEEK' REN.

C A P. LVI.

De calculo vesicæ urinariæ in muliere, extracto.

QUOT affectus præternaturales corporibus humanis obveniunt, tot circa illos Medicorum Chirurgorumque occurrunt judicia.

Uxor cujusdam *Eduardi Abbeck*, per triennium præterpropter ardore dolorifico circa pudendum, atrochondonibus variis prævæ notæ, nec non urinæ falsæ crudæ acrioris, cui quandoque materia mucosa, cruentave permiscebatur, laboraverat.

Ex continuis vigiliis, vomitibus, doloribusque debilitata emaciatæque, feбри affligebatur continua, Cephalalgiaque gravi; symptomata hæc considerantes Medici varii, Lue venereæ eam laborare judicarunt, cujus etiam intuitu varia ipsi ab aliquo jam exhibita medicamenta, quæ tamen, quod calidæ, sudorificæ, naturæ, plus damni quam utilitatis attulerunt, febriles etenim paroxyfmi plurimum iis indies aggravati, corporisque extabescencia non parum aucta.

Placuit aliis, haud quidem morbo gallico, attamen gonorrhœâ, vexari.


Moesta hæc ægrotans Viros Clariss. *Dn. Guiljelmum Pisonem*, & *Dn. Rocomoro*, illum Medicum belgam, hunc lusitanum, nobiscum accedere curavit, sic fore sperans, ut certi aliquid circa statum morbi constaret.

Considerata hinc urinæ sanguinolentia, pu-
rulen-

rulentiavè, perspectis pudendum occupantibus, varias in particulas carneas, easque satis notabiles, divisis verrucis, cognita Medicorum circa morbi naturam symptomatumque causas sententiâ, eorum imprimis qui morbo gallico omnia adscribebant, consultatione debitâ institutâ, lucem veneream malorum causam neutiquam hîc habendam esse, pronuntiavimus, at verò viam urinariam circa orificium seu exitum ab insigni aliquo *calculo* angustatam esse.

Calculi hujus extractionem quam unicè desiderabat ægra, non solum, quo symptomata quibus longo adeò tempore miserè afflicta fuisset, hoc medio tollerentur, sed & scædi morbi quo laborare dicebatur suspicio omnis auferretur, ad hunc modum instituimus.

Sinistræ manûs digito indice in vaginam uterinam immisso Calculum apprehendebamus, mox lapidello per meatus urinarii orificium supra calculum inserto, eundem celeri manu extra-



habemus, & sic brevi tempore absque notabili dolore scdum illud malum, quo laborare eam multi sibi persuaferant, integrè curatum. *Calculi extracti figura, & magnitudo pag. præcedente habetur.*

Extracto calculo *Emulsionem* ex amygdalis ægrotanti præscripsimus, in urinariam verò vesicam medicamentum sequens *injici* curavimus.

℞. *Fol. Rub. Scord. an. P. ij.*
Cand. equin. Plantag. an. M. ℥.
Flor. Rosar. rubr. P. ij.
Hord. mund. ℥ j.
Coqu. in aq. pura. ad Colat. ℔ j. in ea
dissolve
Syr. Absinth. ℥ iij.
Ol. Copayv. ℔ j.
Mell. Rosar. ℥ j. M.

Injectio hæc eum in finem usurpabatur, ut fœtor omnis atque putredo inhiberetur, quæ enim alia hîc adhiberi potuissent, non necessaria videbantur, quod sine molestia gravi auferre calculum nobis licuerit.

Mundificatione præmissa consolidationem promovere placuit *Injectione* hæc.

℞. *Aq. Chalyb. ℔ j.*
Plantag. Hord. an. ℥ iij.
Tut. Præp. ℥ ij.
Sief. Alb. Rhas. sine opio ℥ j. ℥.
Ol. Copayv. ℔ j.
M. F. Injectio.

Medi-

Medicamentis hifce veficæ læfio in totum curata; ad verrucas bono cum fuccellu *linimentum* hoc ufurpatum.

℞. Ung. Alb. Camph. ʒ j.
 Sevi Hircin. ʒ j.
 Tut. Præp. ʒ j.
 Sabine roftæ ʒ ss.
 Mercur. Præcip. ʒ j. ʒ. M.

C A P. LVII.

De Tumore fanguineo ad palatum.

Maria de Waart, filia natu minima Ampliffimi Confulis D. Gerbr. Nicolai Pancras ex morbo diuturno, capitis, auris, dentiumque dolore gravi, tumorem contraxit albicantem, nucis juglandis magnitudinem habentem, circa palatum.

Pure repletus nobis fimiliter ac Medico lufitano *Ephraim Boona* videbatur, undè apertionem ejus neceffariam omninò judicabamus, quam ubi admifit ægrotans, lanceolæ ope peractam, non pus, fed fanguis calidus purus, rubicundus, infigni copia effluxit, cùm tamen, uti indicavimus, albedine notabilis tumor occurreret, fluorem hunc preffione digiti continuâ fiftere coacti fuimus.

Diebus quinque aut ſex elapfis tumor dictus de novo à nobis apertus fuit, quod & majoris amplitudinis occurreret, & de purulentia in eo præ-

præsentia nullus dubitaret. At dissectione peractâ eâ copiâ sanguis ardens, acrisvè impetu effluxit, ut linteo combusto vulneri imposito hæmorrhagiam sistere coacti fuerimus.

Frustra sic hætenus laboravimus, iterare adeoque apertionem consultum minimè visum, quin potius sanguinem temporis diuturnitate, usuque medicamentorum commodorum, in pus verum converti necessarium. Ad hoc *collutio* sequens aliquoties calidè ore detinenda à nobis præscripta :

ix. *Rad. Alth. Lilior. an. ʒ ij.*

Fol. Malv. Bismalv.

Parietar. an. Mj.

Sem. Lini ʒ ss.

Ficus recent. n. vj.

Coq. in aq. purâ, in Colat. lē j. dissolve

Syr. de Alth. Fernel. ʒ j.

M. F. Gargarism.

Uso gargarismatis hujus tumores indies imminui observavimus, continuatio adeoque necessaria. *Consolidatio* tamen vera neutiquam secuta, priusquam fragmentum aliquod ossis palati separaretur.

Curatione sic insperatâ absolutâ, nostrum credidimus esse, undè collectio sanguinea dicto loco se exhibens provenerit, cognoscere : Nullus hîc occurrit qui vel verbis, vel scriptis vias commodas indicare potuit. Aliquid lucis huic difficulta-

cultati adferunt quæ *obs. 24. Armant. Chir.* proponit *Joan. Schultetus*, Medicus & Chirurgus Ulmenfis, ductum hic describit circa dentes molares à palato ad nares extensum, in quo vena æque ac arteria, commodæ tunicæ inclusæ detinentur, de quo loco cit. plura legi possunt.

Post hæc tempora affectus priori similis his nobis occurrit sanguinis majorem uterque exhibuit quantitatem quam puris. Aliis quod si eadem occurrerint, facilius, certiusque ea curare poterunt.

C A P. LVIII.

De variis in cadavere puerperæ observatis.

Operationibus variis Chirurgicis in gratiam discipulorum nec non Chirurgiæ cultorum quorundam in cadavere quodam humano institutis, placuit partium quorundam structuram usumvè examinare.

Hic primo omnium *Cranio* ablato, *meningeque* separatâ, *rete mirabile cerebri*, atque in eo *glandula pinealis* occurrit, obducta ea reticulo quodam cinerei coloris, ex ramulis arteriæ carotidis contexto, calculo duplicis hujus figuræ

○ ○ intus repleta, quibus similes in aliis haud semel reperire concessum. A Cerebro ad Cervicem descendentes, quo nervorum ex spinali medullâ cervicis prodeuntium plexus reticulares, hinc ad brachia distributiones variæ innotescerent, *funiculum* reperiebamus *nervum*,

veum, notabilis fatis erassitie, qui circa auriculæ inferiora procedens, Musculum caput flectentem accedebat, cujus tunicæ inhærebat, ita tamen ut trochleæ vice ipsi esset, circa quam moveretur; quo tenderet hoc tempore cognoscere non licuit, quod alia negotia ab opere desistere nos cogerent.

Biduo vix elapso nervus idem præsentē *D. Gerardo Blasio, Medic. Professore*, in subjecto alio occurrebat, propagines hîc satis copiosæ, ast ne hîc quidem principium verum, verumque finem, adeoque nec usum certum, cognoscere potuimus, quod si ulteriori inquisitione alia hûc facientia occurrent *Viro Clarissimo*, non deerit inventa communicare; labores enim suscipere, recusare nunquam, solitus, dummodo junioribus inservire queat.

Post quatrimum in puerperâ quadam, præsentē *Dn. Paulo Barbette, Medico*, eundem *nervum trochlearem* videre contigit, admirabatur structuram ejus distributionemque magnus hic Vir, brevique quæ de usu ejus conceperat publico se exhibiturum promittebat.

At quod majoris considerationis erat, investigationem nostram exigebat partium generationi dicatarum in sexu scæmineo post partum constitutio, *Ossium* imprimis *pubis*, quæ per *synchondrosin* ante erant unita.

Ambrosius Parvus in muliere à 14 diebus puerperâ propter scelera commissa suspensa ossa hæc ad dimidii digiti latitudinem à se invicem separata notavit.

Fabr.

Fabr. Hildanus part. 6. obs. 39. hæc proponit : *Queris an ossa pubis in partu disjungantur nec ne, scio hac de re diversas esse opiniones inter Medicos ac Chirurgos rationales, & nonnullos disjunctionem horum ossium affirmare, alios verò negare. Ego, ut ingenue fatear, cum in juventute arctissimam connexionem horum ossium in dissectionibus anatomicis observassem, in hac quoque fui sententia, videlicet impossibile esse in partu disjungi, post praxis aliter me edocuit, & præcipue in extractione fœtus mortui aliquoties observavi, quid hæc de re statuendum sit. Respondeo itaque verissimum idem esse, in partu non solum ossa pubis, verum etiam ossa ilii ab osse sacro disjungi, id tamen plus aut minus fieri secundum constitutionem parturientis, & fœtus conditionem. Si enim parturiens est juvenis & robusta, fœtus validus, secundum naturam situs, & ad partum naturalem dispositus, disjunguntur quidem non solum ossa pubis & ilii, sed & ipsum os caudæ extrorsum reflectitur, nec tamen id semper percipit parturiens nisi valde obscure. Sin autem parturiens fuerit consistentis ætatis, constitutione corporis sicca, & imbecillis fœtus, quin etiam debilis, vel in transversum aut obliquum situs, immaturus aut plæ mortuus, ita ut nisi maximo conatu matris excludi nequeat, tum profecto ossa prædicta tam evidenter disjunguntur, ut non tantum agra ipsa verum etiam astantes tactu facile percipere possunt. Hæc in uxore mea charissima, cum filium nomine Petrum pareret; expertus sum.*

Ossium

Ossium pubis in partu aliquam separationem inter plurimos alios etiam admittunt *Fallopins, Riolanus, Spigelius*.

In tribus quatuorvè quos dissecare nobis licuit post partum demortuis separationem nullam notare potuimus, quin potius firmam ossium dictorum unionem.

Non tamen idè Celebrium multorum virorum testimoniis aut naturæ ipsius operationibus variis, vim inferre libet, iteratæ puerperarum dissectiones rem hanc plenius declarabunt; sufficiat hoc loco verba *7 homæ Bartholini*, quæ *Anatomes reformatæ libello 4. cap. 16.* proponit, nostra facere: *Subindè tamen inquit pro necessitate sive foetus grandioris, sive loci angusti, ossa pubis divelluntur, sed non semper, quando nempe foetus mollis, & pro loci angustia flexilis, lubrica via, ossa latius diffusa & tunc enim laxatio cartilaginis sufficit.*

Præter dicta, ossa nempe pubis minimè fuisse separata, *sacrum* verò os, cum eo quod caudæ dicitur, loco suo dimota, *uterum* hîc observavimus non solum insignis magnitudinis, & crassitie, pelvi detentum, ligamentorum validorum ope firmiter vicinis nexum, sed & sanguine concreto intus repletum, hoc ablato vasculorum sanguineorum oscula innumera à quibus placenta uterina sanguinem suum haurit, sese offerebant, maximè ubi cultello interior uteri superficies, loco qui placentæ, purificata. Videri hîc possunt quæ habet *Hildanus p. 4. obs. 60.*

Testi-

Testiculus sinister altero major erat, crassior, & inæqualior, cui hydatidis falso humore repleta connexa.

In *peritoneo* denique duplicatura, internè relaxatio occurrebat, exterior enim pars contracta, interior verò dilatata valdè.

C A P. LIX.

De Luxatione ossis caudæ.

Articulationis ope quæ juncta, luxatione facilè sejungi possunt, una tamen aliâ majoris periculi.

Mulier quædam Anabaptistarum sectæ addicta alvi excrementa deponere studens, operculo locum secretum indebitè tectum ignorans, ex improviso os coccygis lædebat, adeò ut nec stare nec sedere valeret, sed ab aliis in lectum deportari debuerit.

Altero die dolor summus, qui jam à primo tempore adfuerat, similiter ac febris gravis, convulsionesque me advocari fecerunt, nec non Medicum ordinarium.

Considerandis consideratis omnium symptomatum originem ossis caudæ luxationem infortunio quodam contractam pronuntiavimus, nullo verò modo ea tolli vel imminui posse, nisi digito in anum immisso os idem suo loco restitueretur. At illa operationem hanc admitteret, nullis verbis, pudore suffusa, induci potuit, quæ exigebat Topica nullius fructus declarabamus,

S

quam-

quamdiu repositio debita haud peracta.

Quod nihil omninò hîc efficere nos posse observaremus, relicta ægrotante miserè decumbente, discessimus.

Nox molesta valdè, ob symptomatum, convolutionis imprimis, incrementum, quod commodum, imò unicum in hoc casu medium heri declaraveramus, manualementem offis luxati repositionem, mane summo admitteret, urgebat.

Secutus adeoque modum à *Paræo* l. 16. c. 14. aliisque præscriptum, digitum sinistræ manus Oleo Rosarum inunctum in intestinum rectum immisi, mox manu dextrâ variis modis locum affectum tractavi, usque dum cum strepitu in locum suum ossicula recederent, quod brevi effectum, symptomatibus omnibus in totum sublati. Exterius Ceratum vigonis imponebatur ad curationis absolutionem.

C A P. LX.

De sanguinis vermiculos referentis per penem excretionem.

BEnè *Aristoteles*, omne liquidum receptaculo solido receptum figuram vasis continentis induit.

Joannes Cornelii, faber lignarius, annorum 23. moderatæ staturæ, structuræve, cum sponfa, & paranympis pagum civitati nostræ proximum, *Slooten* vocatum, recreationis gratiâ acce-

accedit, aliquot hîc dies noctesque potando consumit. tandem ab aliquo paranympthorum vulneratur, regione ea quæ Re: is dextri, intra costam tertiam & quartam, ab inferiore sursum numerando.

Vulnerati curam per aliquot dies instituere Chirurghi varii, tandem rogatu parentis ejus qui vulnus infixerat, accedo, febris aderat gravis, sitis intensa, debilitas summa, circa pubem tensio notabatur insignis, urinæ rûdem, cruentæ fatis, suppressio aderat aliqua; ad horum tubulationem seq. præscripti.

℞. *Ol. Scorpion.*

Amygd. dulc. an. ʒ j.

Bals. Sulph. ʒ j.

M. F. Linimentum. Partibus dolentibus applicandum.

℞. *Herb. Cheresfol. Petroselin.*

Fœnic. an. M. j.

Verbasci an. M. ʒ.

Flor. Chamomil. Melilot.

Aneth. an. P. ij.

Sem. Fœnic.

Petroselin. an. ʒ ij ʒ.

Coq. in Cerevis. tenui.

F. Fomentum.

Excipiebatur hoc vesicis animalium, imponebaturque pubi, partique dolenti, & brevi urinæ excretio promota.

§ 2.

Vul.

Vulneri ipsi, amplum satis quod erat, cuius tamen terminum explorare non licebat, bis singulis diebus apponebatur Oleum hypericonis & Ung. Digestivum; pus aderat bonæ notæ.

Ad sitis febrisque imminutionem Aposema hoc vulnerarium pro potu ordinario præscriptum:

℞. Rad. Tormentill.

Rubia tinctor. an. ʒ ij ʒ.

Herb. Sanicul. Agrimon.

Vinca peruvica an. M. ʒ.

Alchimill. Cherefol.

Solidagin. saracen.

Fœniculi an. M. j.

Coq. in aqua hord. ad Colat. lb ij. ad.

de Syr. de Symp. Fernel. q. s.

F. potio.

Decocti hujus usu paucorum dierum spatio vires resumere æger videbatur, dolor nihilominus lumborum, cum tensione, & æstu summo, quæcunque etiam adhiberentur medicamenta, graviter molestabant. Ad hæc Enema emolliens injici curavi. Exterius itidem Emplastrum ex Diapalma dissoluto cum aceto & oleo Scorpionum mixto paratum, parti dolenti apponi.

Die seq. symptomatum dictorum singularis notabatur remissio, excretionem largâ urinæ, cui particula insignis substantiæ carneæ mixta erat, prægressa. Medicorum Chirurgorumque varii sub-

substantiam hanc renalis parenchymatis portionem esse, judicabant, at digitorum contritio nil nisi sanguinem concretum esse ostendit.

Ab eo tempore, dolor lumborum, pubisque plurimum licet imminutus, quovis sexto die, aut circiter, dolores ingravescabant, n. c. ullis mediis tollebantur, antequam cum urina sanguinis concreti quantitas aliqua exierit.

Cruor hic ex rene ad ureterem descendens, in eo teretem figuram assumebat, unde lumbricis similia corpora notabantur, quæ cum urina excerneret, imò antequam rem ipsam curiosius examinaveram, urinali contentæ urinæ vermiculum innatare, mihi persuadebam.

Excretio hæc materiæ condensatæ ad septimanas 10 aut 12 perdurabat, tandem Chirurgus alii se curandum obtulit, de eventu nil constat.

C A P. LXI.

De Fistulis ani.

Ulcera ani inquit Doctissimus Professor Hier. Fabr. ab Aquapendente *sæpe solent creare fistulas exterius circa anum perforando intestinum rectum. Interdum vero circa anum oboriuntur fistula rectum intestinum haud quaquam perforantes, sed circa anum consistentes, & in carne terminum habentes, quæ serè non sanantur nisi incisione.*

Quam molesta sint, & dolorifica ani ulcera-

simplicia, (ne de compositis quid dicamus) optimè omnium experiuntur illi, qui sordida lintamina doloretque graves vestimentis suis occultare, iundò toto vitæ tempore tolerare malunt, quam levem dolorem perferendo curationem expectare, satis sciet constet partem eam quæ ulcerum ejusmodi subiectum pronam valdè esse non solum in corruptionem, sed & ulcerum propagationem.

Incisio eodem *Ab Aquapendente* authore duobus modis, & duplici Chirurgia, absolvitur, hoc est filo s. lino, & syringotomo.

Ad *Chirurgiam* antequam deveniamus, notandum nobis, quoties ulcus adest fistulosum variis cavernis præditum sine callositate aut intestini perforatione, Chirurgos varios curationem tentasse usu suppositoriorum ex *unguento fusco Felicis Wurtzii*, per evaporationem indurato confectorum, sic enim ulcera talia per liquefactionem unguenti mundificari posse exficcarivè sibi persuaserunt.

Hæc curandi methodus arridet nobis, utpote qua in non uno subiecto processu, imprimis ubi simplex adest ulcus, idque recens.

At verò ubi ulcerum datur multitudo, maximè quæ occalluere, etiam non perforato intestino recto, nullo alio medio ea curare nobis licuit, quam incisione, quæ adcò ab *Hr. Fabr. ab Aquapendente* celebratur, ut, etiam intestino recto non perforato, exemplum aliorum secutus, eam institui debere doceat.

Ipsa

Ipsa Authoris cap. 93. proposita verba hæc sunt, *quæritur quomodo curanda sit fistula quæ exterius a tuberculo in cute oborto habeat originem & versus anum permeet, non tamen intestinum penetret, sed ad usque intestinum pertingat.*

Ad hoc respondet *Vir experientissimus* se in ejusmodi ulcerum curatione, etiam non perforato intestino, neutiquam vereri intestinum ipsum incidere, maximè ubi podicis circulo proxima, *Extremum enim intestini recti*, verba sunt *Hippocratis*, quæ habentur libro de Haemorrhoidibus, & *secans*, & *resicans*, & *consuens*, & *urens*, & *putrefaciens*, etiam si gravissima hæc sint, nihil læseris. Consentit *Aetius Exleoni*.

Ad Chirurgiam antequam deveniamus cognoscere Chirurgo interest, intestinum rectum integrum adhuc an sit an verò perforatum; eadem enim licet sit curandi ratio, læsum sive fuerit intestinum, sive integrum, facillimum tamen conceptu, facilioris operationis perforationem eam esse quæ ubi intestino foramen aliquod adest, per quod instrumentum duci potest, instituitur, quam ea est, ubi eodem per intestinum sanum viam sibi facere tenetur Chirurgus.

Signa quibus intestini perforatio cognoscatur. Cuius sine dubio cognita; Certum est, si flatus per externum foramen exeat certius, si alvinorum excrementorum aliqua particula per exteriora excernatur, certissimum, si Chirurgus digito in anum immisso instrumentum per fistulam insertum tetigerit.

Instrumentorum ad incisionem usualium primum *filum* est ; hujus opẽ quæ peragitur Chirurgia licet minus dolorifica , incerti tamen magis eventus est ; *Celsus ipse lib. 7. cap. 4.* ubi incisionem per filum admittit , imò ubi ejus opera eam absolvi posse desperat , *fieri posse docet , ut curationis gratia cultellum hic adsumere cogamur.*


Filum quo in hoc casu utimur ex filis crudis , fortioribus , contortis , pilis equinis , & filis fericis rubris crassioribus conjunctis , cerâ flavâ ad eum modum quò sartores fila sua munire ductiliaque magis reddere solent , incrustatis conficitur.

Filum hoc debitæ longitudinis excipimus foramine quod inest extremo uno (simile foramini quod in acu eâ notatur , quæ ad setacea efficienda usurpatur) instrumenti exploratorii ex plumbo ad necessariam flexibilitatem parati.

Hinc digitum indicem sinistræ manus , cujus unguis , monente *Paræo lib. 13. cap. 24.* reflectus , in anum immittimus , mox manu dextrâ instrumentum dictum filo instructum per fistulæ anfractus sensim variis modis intorquendo ad locum eum intestini qui perforatus est deducimus , sic ut auxilio digiti in intestino hærentis incurvari , tandemque per anum exire queat.

Fili utrumque extremum conjunctum alligamus ligno cuidam tereti , sicque ad eum modum , quo cum festuca suâ processit *ab Aqua-*
pen-

pendente, contorsione continua, fortique constrictione quicquid filo comprehenditur dividimus.



Operatio secunda *Syringotomo* perficienda certior est, minusque dolorifica, imò breviori absolvitur tempore, ab ea tamen abhorreere magis solent ægotantes. Instrumentum hoc invenit *Galenus*, delineavit *Andr. a Cruce*, emendavit *H. F. ab Aquapendente*, approbavit *Schulietus*; figura ejus quæ operi quam maximè accommodata hæc est, in qua A globulus est, qualis etiam in instrumento exploratorio plumbeo supra indicato requiritur, ne, dum per fistulam, hinc intestinum apertum, protruditur, nocumentum ei adferat: hinc per fistulam & intestinum ducitur, sic ut per anum exeat usque ad B, ubi acuties incipit instrumenti, cujus dorsum obtusum, similiter ac illud quod est cultri domestici, quo panem scindimus.

Instrumentum hoc per fistulam immissum, digito in intestino apprehensum celeri manu extrorsum ducitur, & hac ratione quæcunque attingit impetu uno discindit.

Sincere ut hîc agamus, necessarium non modò qualiter instrumentum dictum tractare debeamus cognoscere, sed & quomodo ulcus tale fistulosum incipiat, procedatque, imò quænam de eo prædici queant. Ad hæc casum sequentem exhibere utile erit.

Franciscus Völkertsen vir aliquomodo melancholicæ complexionis, ex animi affectu catharrosam persentiebat destillationem, per dorsi longitudinem ad os usque caudæ, hinc ad natium concursum ubi intestinum rectum ossi dicto ac-

cum.

cumbit. Brevi tumor hic exortus, qui pinguedinem, marginem musculi glutæi, imò, quod admirandum, intestinum rectum, perforavit.

Accedens ægrotantem, præter febrem, doloremque gravissimum, tumoris duritiem, rubedinem, extensionem, consideravi. Quod, symptomata alia tumori adscribi debere, certum, *Cataplasma* hoc eidem applicari necessarium duximus, quo eo maturatio promoveretur.

℞. Rad. *Althææ*. Brion.

Lilior. alb. an. ℥ j. ℥.

Fol. Malv. Bismalv.

Violar. an. M. j.

Flor. Chamomill. M. ℥.

Sem. lini. ℥ f.

Coquantur & contendantur, addendo Farinæ fœnugr.

Semin. lini. an. ℥ y.

Axung. porci q. f.

Butyr. recent. ℥ j.

Uell. ovi n. i.

M. F. Cataplasma.

Calidè hoc applicavimus tumori, secundo die cum aperire consultum duximus, & effluxit materiæ foetidæ purulentæ insignis latis quantitas.

Post hæc excrementa alvina, quibus flatus permixti, sonitu se manifestantes, tumorem accedere notabamus, undè perforatum jam esse intestinum clarè constabat. Multa equidem ad-

hibe-

hibebamus, quorum operâ consolidare, carnem, que regenerare nos posse credebamus, aut frustraneus omnis labor; ad incisionem adeoque, modo in prægressis indicato perficiendam, devenire coacti, qua & intestini reliquas partes sanas, & cutem musculosamque intestini portionem adhuc integram dissecare necessarium; dissectione peractâ, quod *sanguinis fluxus* gravis ex Venarum hæmorrhoidalium apertione adesset, medicamentum adstringens ordinarium vulnerato loco applicavimus.

Die sequenti puris minus solito in vulnere reperire licuit, imò omnia sanitatem veram promittere videbantur, quæ etiam brevi tempore, auxilio divino, introducta.

Per animi affectum excedentem in parte dictâ humoralem collectionem exoriri posse, non est quod mirum alicui videatur, etiam in aliis subjectis similia iis quæ in hoc observare licuit, notabimus; At verò vitii principalissima causa hæmorrhoides exulceratæ, ex sanguine acriorum ductentes, unde vicinarum partium corruptio. Exemplis variis quæ proposuimus illustrare liceret, nisi ægrotantium plerique impedirent.

Sunt inquit ab Aquapendente, qui ferrum pertimescant & universi sinus incisionem a filo fieri expetant, quod non laudo, quia nimis molesta & tarda est incisio, & dolor assiduus, & longa curatio.

Partem hanc, in qua ulcera hæc fistulosa occurrunt,

currunt, sensilem omninò esse, variis exemplis verum esse comperimus; testatur idem memorabilis historia quam *Reverendus Pater Augustinus lib. de civit. Dei 22. cap. 8. de Innocentio* summè dolores fugiente proponit; hanc rerum Chirurgicarum cultoribus coronidis loco communicare placet, cum voto curationis, similis omninò illi quam sanctus Episcopus adducit.

Quis inquit novit, præter admodum paucissimos, salutem quæ facta est Innocentio Advocato Vicariæ præfecturæ ubi nos interfuimus & oculis aspeximus nostris; venientes enim de transmarinis, me & fratrem meum Alippium, nondum quidem clericos, sed jam Deo servientes; ut erat cum totâ domo suâ, religiosissimus ipse susceperat, & apud eum tunc habitabamus: curabatur à medicis, propter fistulas quas innumeras atque perplexas habuit in posteriore atque imâ corporis parte. Jam secuerant eum, & artis suæ cetera medicamentis agebant. Passus autem fuerat in sectione illa & diuturnos & acerbos dolores, sed unus inter multos sinus fefellerat medicos, atque ita latuerat, ut eum non tangerent, quem ferro aperire deberent. Denique sanatis omnibus, quæ aperta curabant, iste remanserat solus, cui frustra impendebatur labor. Quas moras ille suspectas habens, multumque formidans ne iterum secaretur, quod ei prædixerat alius medicus domesticus ejus, quem non admiserant illi ut saltém videret cum primum scētus est, quomodo id facerent, iratusque illum domo abjecerat, vixque receperat,
ern-

erupit, atque ait: *verum me secturi estis? ad illius, quem noluisse esse praesentem, verba venturum sum. Irridere illi medicum imperitum ceperunt, metumque hominis verbis promissionibusque lenire, praeterierunt & alii dies plurimi, nihilque proficiebat omne quod ficebat. Medici in sua pollicitatione persistebant, non illum sinum ferro, sed medicamentis esse laesuros. adhibuerunt & alium grandævum jam medicum satisque in illa arte laudatum, adhuc enim vivebat, Ammonium dico, qui loco inspecto, idem quod illi, eorum diligentia peritiaeque promisit. Cujus ille factus auctoritate securus, domestico suo medico, quod futuram praedixerat aliam sectionem, facili balacritate veluti jam salvus illudit. Quid plura? postea tot dies inaniter consumpti transierunt, ut fessi atque confusi faterentur eum nisi ferro, nullo modo posse sanari. Expavit, expalluit nimio terrore turbatus, atque ubi se collegit, farique potuit, abire illos iussit, & ad se amplius non accedere imperavit: nec aliud occurrit fatigato lachrymis, & illa jam necessitate constricto, nisi ut adhiberet Alexandrinum quendam. qui tunc Chirurgus mirabilis habebatur, ut ipse faceret quod ab illis fieri volebat iratus. Sed posteaquam venit ille, laboremque illorum in cicatricibus, sicut artifex, vidit, boni viri functus officio, persuasit homini: ut illi potius, qui in eo tantum laboraverunt, quantum ipse inspiciens mirabatur, curationis suae sine fruerentur: adjiciens quod revera, nisi sectus esset, salvus esse non posset. Sed valde abhorre-*

suis moribus, ut hominibus, quorum artificio-
sissimam operam, industriam, diligentiam, a mi-
rans in cicatricibus ejus videret, propter exiguum
quod remansit; palmam tanti laboris auferret.
Redditi sunt animo ejus, & placuit ut eo tem Alex-
andrino assistente, ipsi sinum illum ferro, qui jam
consensu omnium aliter insanabilis putabatur, ape-
rissent. Quæ res dilata est in sequentem diem. Sed
cum abiissent illi, ex nimio mœrore Domini, tantus
est in domo illà exortus dolor, ut tanquam funeris
planctus, vix comprimeretur à nobis. Visitabant
eum quotidie Sancti Viri, Episcopus tunc Usalen-
sis, beatæ memoriæ Saturninus, & Præbiter Ge-
lofus, ac Diaconi Carthagenensis Ecclesiæ. In qui-
bus erat, & ex quibus solus est nunc in rebus hu-
manis, jam Episcopus cum honore à nobis debito
nominandus Aurelius, cum quoque recordantes
mirabilia opera Dei, hæc de re sæpe collocti si-
mus eumque valdè meminisse, quod commemora-
mus, invenimus. Qui cum eum, sicut solebant,
vespere visitarent, rogavit eos miserabilibus la-
chrymis ut manè dignarentur esse præsentibus suo fu-
neri potius quam dolori. Tantus enim eum metus
ex prioribus invaserat pœnis, ut se inter medico-
rum manus non dubitaret esse moriturum. Con-
solati sunt eum illi, & hortati ut in Deo fideret,
ejusque voluntatem viriliter ferret. Inde ad ora-
tionem ingressi sumus. Ubi nobis ex more genua
figentibus, atque incumben- tibus terræ, ille se ita
projecit, tanquam si fuisset aliquo impellente gra-
viter prostratus, & cepit orare. Quibus modis,
quo

quo affectu, quo motu animi, quo fluvio lachrymarum, quibus gemitibus atque singultibus concutientibus omnia membra ejus, & pene intercludentibus spiritum, quis ullis explicet verbis? Utrum orarent alii, nec in hac eorum averteretur intentio, nesciebam. Ego tum prorsus orare nil poteram, hoc tantummodo breviter in corde meo dixi: Deus quas tuorum preces exaudis, si has non exaudis? nihil enim mihi videbatur addi jam posse, nisi ut expiraret orando. Surreximus, & acceptâ ab Episcopo Benedictione discessimus, rogante illo ut manè adessent, illisque, ut equo animo esset, hortantibus. Illuxit dies, quem metuebant, aderant servi Dei, sicut se affuturos esse promiserant. Ingressi sunt medici, parantur omnia quæ hora illa poscebat, tremenda ferramenta proferuntur, attonitis, suspensisque omnibus. Eis autem quorum erat major authoritas, defectum animi ejus consolando erigentibus, ad manus secturi, membra in lectulo componuntur, solvuntur nodi ligamentorum, nudatur locus, inspicit medicus, & secundum illum sinum armatus atque intentus inquirat; scrutatur oculis, digitisque contrectat, tentat denique modis omnibus, invenit firmissimam cicatricem.

CAP. LXII.

De Morsu canis rabiosi.

INter venena quæ substantiæ suæ insita vi, et-
que occulta, partes nostri corporis afficiunt,
quædam actu agunt, adeoque subito, alia verò
potentiâ.

Prioris conditionis sunt, quæ scalpendo, mor-
dendo, pungendo, per sudorem, urinam, sali-
vam, sonum, qualis vociferatione, sibilo, &c.
similibusque modis variis naturam suam corpo-
ribus imprimunt.

Posterioris ordinis quæ sunt non solum affi-
ciunt corporum partes externas, internasvè, sed
utrasque.

Inter hæc haud infimæ notæ *Morsus canis rabidi*, ubi venenata qualitas vulnere soli haud inhæret, sed exindè toti communicatur corpo-
ri, imprimis Cordi & Cerebro, undè partes aliæ iterum habent, quod accipiant. Historiam nar-
rant *Palmarius de morbis contagiosis* pag. 329. tract. de morsu canis rabidi, cap. 1. Rusticus qui-
dam inquit rabie percussus furisq; agitatiss, cum sibi brevè vitâ migrandum esse intelligeret, assidentes, qui eum vinculis constrictum tenebant, in furoris intermissione enixe rogavit, ut quos mox deserturus esset liberos, sibi deosculari liceret: quod cum ei fuisset concessum, liberisque oscula libasset, prefocatus est: sed ecce septimo post die liberi eodem modo correpti, eisdemque cruciatibus torti, brevi miserrimam vitam cum morte commutaverunt.

T

Et

Et quamvis circa hanc opinionem plurimum disceptent ac discrepent artis medicæ cultores, prætermittere tamen nequeo *Avicenna* hâc in re consilium: Inculcat is studiosissimè omnibus, furiosorum custodiam servantibus, ne ullas unquam superstites ciborum reliquias, ab amentibus corrosas masticatasvè degustent, neque corpus suum illorum sputis (quæ ferè eructant assiduè) commaculari permittant. Non equidem periculosum contagiosumque adeò depingere valeo virulentum morsum rabiosi canis, quin dicto amplius in se discriminis, contagionisque involvat.

Hæc tanta hujusce rei incommoda, quo facilius quisque declinare valeat, operæ pretium foret præfati morsus indicia oculis objicere, nisi authores passim omnes (cum cæteris *Parau*) id negotiû prævenissent.

Neque interim nobis satisfacere videntur authores cuncti, qui hanc rem attigerunt, ut sunt: *Avicenna*, *Galenus*, *Gesnerus*, *Parau*, *Fracastorius*, *Palmarius*, *Amatus Lusitanus*, ac plures alii, dum causas ob quas hydrophobi, ac rabiosi aquas fugiant, exponere conantur, cum tamen aquæ operâ eos curari observemus. Licet hanc ex *Ruffo* & *Posidonio* afferat *Aëtius*: quod rabidus canis in undis alium canem, vulneris sui insiactorem, videre se putet.

Quam sententiam confirmare videtur *Johannes van Beverwyck*, *Petri Silentarii*, *Græcivatis*, autoritate, nec non memoratus *Ælius*

autho-

authoritate *Philosophi*, qui recepto à cane rabido morfu potandi causa thermas adiverat. Cum verò in aquis canem conspiceret sibi assiduò videretur, intrepido animo hydrophobiæ contraire statuens, Quid, inquit, cani cum balneis, quæ alacrius subintrans, aquæ potu sanitati restitutus est.

At verò ad hæc objicere liceret, caniculos juniores, quibus vermiculi sub linguis generantur, quod ex rosione continua cognoscimus, rabiosos fieri, absque eo quod aquam vel videant, vel cognoscant, & hoc canibus plerisque sine reali contactu, evenire credimus, eo quod natura sua calidi sicque temperamenti sint, unde ex vermiculis excitatum sub linguis pruritum perferre haud valentes, subitum sanguinis æstum contrahunt, diebus maximè canicularibus, hinc febris, linguæ extra os protrusio, delirium.

Inter *remedia* omnia nostris in locis usualia nullum præstantius præcipitatione ægrotantis in mare, sic referente Medicamentorum belgicorum descriptore ingenuo *Dn. Joanne Beverovicio*, qui hac in re vestigia magni *Cornelii Celsi* secutus, cujus verba legi possunt *lib. 5. cap. 27.*

Peragitur submersio hæc à duobus viris ad mare habitantibus qui ocreati ægrotantem invictum licet deferunt in mare, in quod tribus adminimum vicibus eum præcipitant, hinc eundem benè madidum ad littora iterum deducunt.

Curatio hæc subitanea sit requiritur, priusquam symptomata graviora accesserint, in mu-

fico etenim aliquo à cane rabido vulnerato inutili omninò eam observavimus, quod tardius iusto instituta, miserè etenim usque ad mortem vixit.

Joannes Jansonii, servus Subprætoris *Joannis Voerknecht* Canem prætoris rabiosum gladio jugulare tentans, exiguo foramine circa carpi manus dextræ interiora mor su canis vulneratur.

Die nono, neglectâ in mare præcipitatione, eum accedo, delirium aderat, febris ardens, hydrophobia, convulsio, sputatio continua, sitis ingens, anxietas, linguæ ariditas summa, oculorum scintillantia.

Vulneri illicò applicari curavi *cucurbitulam*, & quidem tertium iterandam, hinc locum vicinum, similiter ac vulnus ipsum hoc tegebatur Cataplasmate.

℞. *Theriac. veter.* ℥ ℥.
Succ. Cephæ ʒ j. ℥.
Stercor. columb. ℥ ij ℥.
Sal. commun. ʒ ij.
Pulv. Ruthæ, Scordii an. ℥ ℥.
Aq. vitæ q. s.
F. in formam Cataplasmati.

Vesperâ *Canterium actuale* vulneri applicabamus, quo apertum servaretur, & venenum consumeretur, loco cauterisato applicabamus *Ung. Basilic.* cui *Theriaca* mixta, ad separationem escharæ, præterquam quod & præcedens Cataplasma

plasma superimpositum, sudoriferum itidem præscriptum, quod ægrè admodum, similiter ac omnia liquida, assumebat. Pro potu tamen ordinario hoc præscriptum :

℞. *Fol. Ruth.*

Rad. Scorfoner. an. Mj.

Fol. Salvia min. P. ij.

Beton. Nepet. an. Mj.

Levistic. M. ℥.

Coq. in vino gall. q. s.

Colatura usurpetur pro potu.

Die decimo, vigilæ continuæ, abstinencia à potu, sudoris nulla eruptiò, graviter molestabant, imò delirium valdè augebatur, mordendo enim, spuendo, lacerando, vociferando, similibusque actibus, omnia turbabat, latratus tamen, contra ac vulgus docet, nullus notabatur.

Die undecimo omnia parum remittebant, quod nox præterita placidior, at *duodecimo*, defatigatus admodum exspiravit; Et hac mortis ratione vulgum evidenter docet, vanum esse quod, rabiosum ejusmodi non nisi suffocatione interfici posse, statuunt. Hâc de re videri potest *obs. 20. & 21. lib. 1. Nicol. Tulpii.*

C A P. LXIII.

De Ganglio ex tempore curato.

QUam molesta fuerit curatio Ganglii Chirurgus æque ac ægrotanti, satis, quæ ad doctrinam nominis, causarum, signorum, curationis, proposuerunt antiquiores, declarant.

Ganglion inquit *Aëlius lib. 15. de re med. c. 9. ex Phylagrio, intumescencia est nervosa, ferè ortum ducens ex ictu.*

Pauli Æginetæ lib. 6. cap. 39. hæc sunt verba: Ganglion nervi est in nodum concretio, ex ictu aut labore proficiscens, plerumque verò in manus junctura qua cum brachio committitur, talo & articulamenti absolvitur.

Joannes de Vigo lib. 2. cap. 10. differentiam constituit inter Nodum & Nodationem, at de nominibus non esse curandum docet, dummodo rectas curationes habeamus. Curationis methodum pluribus proponit cap. 5. ubi, inter varia valdè commendat usum laminæ plumbeæ, nodo impositæ, arctissime constrictæ.

Ambrosius Paræus libro sexto Chirurg. c. 16. descriptione Ganglii capite præcedenti præmissa, Causam ejus constituit vel nervi vel tendinis imbecillitatem ex contortione, extensione, ictu, labore, & aliâ simili causâ contractam, cujus occasione a bilis qui ad partes eas affluit succus cum nec concoqui, nec in propriam substantiam assimilari possit, in humorem congenerem, crassum, frigidum.

gidumque facessit, qui tandem circa fibras & tendinis substantiam sensim accumulatus, in tumores concrevit. Gangliis hujusmodi quæ tendines articulosque occupant, ferrum admoveere non convenire docet, sed tantum Emplastrum ex Ammoniaco & Galbano ad seq. modum paratum applicari debere tradit.

℞. Gum. Amm. & Sagapen. in aq. vitæ dissol. an. ℥ i.

Coq. in cineribus calidis ad formam Emplastri sub finem adde sulphuris vivi subt. pul. ℥ i.

F. Emplastrum ad usum.


Petrus Pigraeus lib. i. de abscessu gen. c. 18. Ganglion s. nodum duritiem habere nervi alicujus aut tendinis dicit; at curationem ejus accedens aliquantulum à descriptione data recedens, hæc proponit: Curatur communiter Ganglion frictione iteratâ, quo sic robore naturæ materia resolvatur.

Plura huc facientia Medicorum Chirurgorumque dicta adferre liceret, at cum nec copia, nec autoritas scriptorum, multominus experientia quotidiana, alicujus hîc ponderis, præstat, rejectis scriptis omnibus, pugno in partes dividere Ganglion, imprimis si recens fuerit.

Resolutionem hanc Ganglii, pugno peractam, in variis felicem reprehendimus, ultimò omnium Christina de Graaf, vidua Dn. Petri Trip,

quæ ad metacarpum , interius , per aliquot annos Ganglion hoc circumgestaverat.

Modus curandi nobis usualis , qui Linimenta , Cataplasmata , Emplastra nulla exigit , hic est : Chirurgus lævâ manu firmiter detineat manum planam ægrotantis , ganglio affectam , tabulæ immobili impositam , dextrâ verò in formam pugni efformatâ bis ter vè ganglion percutiat , usque dum resolutum notat , quod facillimum factu observabit , ubi recens ad manus carpum , qui locus primarius , aut aliam partem , quod rarius contingere solet , productum hoc tuberculum.



Peractâ ganglii resolutione , quo humor omnis , etiam sanguis per ictum extravasatus dissipari

pari quærat *Ceraum Joannis de Vigo* applicare utile. Quod si tumoris aliquæ reliquæ, earum ad consumptionem *Linimentum* hoc usurpare commodum.

℞. Ol. Cerae 3 ij.
 Thereb. 3 iij.
 de Lateribus 3 j.
 Vuell. cvi n. j.
 M. F. *Linimentum*.

C A P. LXIV.

De Cubito rigido, immobili, subito curato.

EX incommodo quoties in arte Chirurgica commodum aliquod resultat & Chirurgo & ægrotanti gaudii ansa sæpius præbetur; evenit hoc in *Helveti*. illo, cuius his verbis meminit *Hildanus* cent. 5. obs 89. *Helvetius* quidam adolescens *Lansama* studiis dans operam, ex arbore cadens, brachium sibi ad carpum frangit. Ego in consilium adhibitus fracturam feliciter sanitati restitui.

Ante annos autem aliquot contusionem talem circa carpum ejusdem brachii ex casu quoque contraxerat, ut eo tempore manus veluti resoluta & impotens permanferit: postrema autem curatio tam feliciter successit, ut manus penitus in integrum restituta fuerit. causam hujus sanationis hanc esse, mihi videtur: Primus affectus sive contusio carpi, cum ab imperito malè curata esset,

T 5

E im-

& imprimis plurima medicamenta refrigerantia applicata fuissent, materia quaedam viscida inter ossa carpi remanserat, quæ post fractum brachium, ab humore affluente veluti irrorata, emollita, & excalescens esset, postea medicamentorum emollientium & resolventium, à me summa, quâ fieri potuit diligentia exhibitorum beneficio, resoluta & dissipata fuit. Quæ exitiosa nobis videntur, frequenter commodum maximum afferunt.

Petrus Jacobi Amstelodamensis anno 1661. utriusque brachii laboraverat aliquamdiu abscessibus, ulceribusque, circa articulationem humeri & ulnæ, Chirurgus, quo usus fuerat, ad veram eorum figuram, convenientemque usum haud attendens, non incurvata sed rigida ea reliquerat, undè ori aliquid iis admove-re impossibile ipsi.

Curæ nostræ ubi subjectus, Fomenta varia, Cataplasmata, Emplastra, applicata, diversæ brachiorum fricationes, extensionesque institutæ, ast nihil hæc omnia effecerunt, nec humor glutinosus articulos ferè accedens, nec musculus articularis, articulorum motui dicatus, ullo modum resolvi potuit, ut mobilitas aliquâ adferreretur membris dictis.

Cibum ori admove-re quod haud valeret, cochlear ipsi parari curavimus similiter ac cultrum excedentis longitudinis. Quid sit, panis dissecti particulam cultri apici impositam ori admove-re laborans, eâ privatur, procidens enim in terram à cane præsentè aufertur, iratus ille

pedi-

pedibus percutere canem dum laborat, in humum prolabitur, hoc ubi fit, eò quod brachiorum uno resistantiam pavimenti lapidei perciperet, soluta materia ad dictum articulum hucusque detenta, &, quod hactenus rigidum, immobileque fuerat membrum, ex improvviso, mobilitatem debitam acquisivit, sic ut eo ad modum pristinum uti potuerit.

Joannes Henrici Wolvegad, bajulus, ex violentiâ externâ pedis utriusque fracturam non solum sed omnimodam comminutionem contraxerat; Hujus curatio nobis committitur, quæ etiam ex voto successit. Ex lecto surgens non modo fracturam dictam curatam notavit, sed & herniam intestinale, inveteratam, ad cujus tamen curationem nihil à nobis adhibitum.

Plura huc facientia qui desiderat, quomodo nempe ex incommodis commoda producta, adeat, *Fabr. Hildanum*, part. 1. obs. 29. & part. 2. obs. 8.

C A P. LXV.

De Puncturâ tendinum, nervorum vulgo dictâ, feliciter, sæpius cum actionis partium abolitione, curatâ.

Multos oboriri posse morbos, ex causis levioribus, periculosos valdè, imò sæpius lethales, non solum artis Chirurgicæ cultores, sed & alii ad eam minimè attendentes, *Plinius*, *Varro*, pluresque alii abundè testantur.

Exem-

Exempla hūc facientia varia *Hildanus* proponit, considerabile quod his verbis proponit *part. 5. obs. 2. Honesta & virtute prædita Matrona Reverendi ac Doctissimi Viri Dn. Joannis Rudolphi Fasnacht, hujus Gymnasii primæ Classis Ludimagistri uxor, cum x mensis præteriti piscem exenterando spina secundum articulum digiti nudi dextra manus punxisset, & ab initio imperita cuidam medicastræ se curandam commisisset, exortusque fuisset dolor gravissimus, in consilium vocatus fui, octavâ morbi die, tum manum brachiumque ad cubitum usque suprâ modum intumefactum, & inflammatione detentum reperi, humor ille, quem vulgus Chirurgorum Germanorum existimant in articulis contineri, & proinde Blidwasser appellat, copiose effluebat: quapropter vix credibile est quantus fuerit dolor inuncto brachio oleis anodynis, & applicatis defensivis circa cubitum, manus verò, quæ dolorem leniunt. Mox remisit tumor brachii, & manus quoque pariatim evanuit quidem, tamen in locis circumcirca digitum, & in vola manus, materia illa acris carnem eroserat, & ulcera sordida & cuniculosa post se eliquerat, circa quæ etiam nunc occupatus sum.*

Simile huic *Ambr. Paræus lib. de Ven.* adfert.

Varia alia ex scriptis aliorum adferre liceret, ni inutilem laborem fumere viderer, sufficiat unum alterumvè ex observatis propriis proposuisse, ubi ex læsione nervi aut tendinis, quæ frequens valdè, dolores gravissimi, non mox

ab incisione, sed lento pede, molestarunt.

Addemus hisce Anatomicam descriptionem manûs digitorumvè, in quibus primariæ partium dictarum læsiones occurrere solent, hinc etiam methodum morbos ejusmodi curandi hodiernam; & hac ratione arti nostræ lucis plurimum me allaturum confido.

Paulus Fortuyn, juvenis annosus, virtuosus, in cœlibatu vivens delectabatur summoperè esu piscis qui *luculus* dicitur, horum dum mundificatione occupabatur, dextræ manus digito indice, pinnarum quibus abundant spina quadam vulneratur; Nox instans quieta fuit, somnus placidus, dolor nullus, sequentis diei horæ matutinæ, quod dolor intolerabilis adesset, cum manus, digitorumque tumore, inflammationeque, nec non feбри gravissimâ, citius justo è lecto surgere coëgerunt. At symptomatum intensione defatigatus eundem mox repetere debuit.

In digito vulnerato, præter doloris vehementiam, color notabatur cœruleus, atervè, vesicularum ingens numerus, imò linea quædam ignea ad alas (prognostico gravi) excurrens.

Antequam accederem, *Amplissimus Consul Dn. Nicolaus Tulpius* Medicamenta ea quæ in tali casu utilia esse praxis medica docuerat, exhibuerat, imò etiam vena (plethoricus enim erat æger) à Chirurgo ordinario secta.

Nostrum fuit, non solum vesiculas, sed & cutem ipsam *scarificando* aperire, non sine notabili

tabili sanguinis effluxione, dolorisque sensu, loco scarificato plumaceolorum vino gallico madefactorum ope imponebatur *Ung. Ægyptiac.* Vinum Gallicum cur in hoc casu præferre placuerit spiritui vini observatione alia quæ de gangrænâ & sphacelo aget, declarabimus; Manui ipsi ejusvè digitis applicabatur seq. *Cataplasma*, quo præstantius in tali casu, ubi instantis gangrænæ sphaceli vè periculum, necdum inveni.

℞. *Mica panis alb. inveterati lb ij.*

Fol. Scordii.

Ruthæ an. ℥ j. ℥.

Summ. Absinth. ℥ j.

F. Pulvis subtiliss.

Qui misceatur cum vino albo gallico in formam Cataplasmati.

Applicabatur hoc tepidè partibus dictis.

Ex ejus usu nox quieta fuit, sudor levis secutus, imò die sequente dolor omnis, inflammatio, intumescencia, gangrænæque primordia aberant.

Ad separationem partis corruptæ *Mixtura* hæc adhibita.

℞. *Ung. digestivi Thereb. ℥ ij.*

Basilici ℥ j. ℥.

Pulv. Myrrhæ elect. ℥ ij.

Mercur. Pracip. ℥ j. ℥.

Spir. Absinth. q. xxij.

Et hujus usu curatio successit ex voto, digitorum manusvè integrâ manente actione.

At verò priusquam ad graviora deveniamus *Symptomata*, quæ sæpius laboris plurimum Chirurgo creant, imò non rarò ignorantia eum accusari faciunt, ne de ægrotantis interitu, qui non rarò supervenire solet, certa mœroris apud consanguineos causa, quid dicamus, monere hîc cogor, Chirurgum ex debito vulnera dicta tractare desiderantem, legitimè cognoscere debere naturam, structuram, usumvè Tendinum atque nervorum, similiter ac partium connexarum, musculorum scil. venarum, arteriarum, ligamentorumque, in manu, digitivè manus æque ac pedis occurrentium.

Cognitione hâc instructus quo loco apertio institui debeat, quoties materia purulenta ad latera capsularum quibus includuntur nervi, descendit, liquidò constabit, nil enim tali in casu convenientius, quam, ubi materiam dictam deorsum moveri notamus illicò exitum illi, foramine debito loco instituto, procurare, ne vicinæ partes, tendines, muscoli, membranæ, ossa, ab eâ nocumentum aliquod contrahant, undè sæpius non membri alicujus sed vitæ ipsius ablatio expectanda. Experti non semel, apertione aliquâ cautè & subito institutâ, imò abscissione tendinis digiti corrupti, non solum manum, pedem, brachium in statu sano fuisse servata, sed & totum hominem, motûs licet ablatio quandoque relicta.

Mi-

Michaël Boon, operarius, infortunio quodam digiti medii manus dextræ contraxerat contusionem gravem, cum punctura tendinis, undè secundo die dolor intolerabilis, cum tumore inflammatorio, & febris ardente, color digiti subater; facta illicò apertione materia effluxit foetida sanguinem serosum purulentum referens.

Parti apertæ, evacuato humore, plamaceolorum ope applicatum fuit hoc unguentum:

℞. *Ung. Basilici part. ij.*
Digestivi thereb. part. j. M.

Cui imposuimus, similiter ac toti manui, *cataplasma* nostrum ordinarium.

Vesperis exhibito *Diascordio* ad 3 j. f. somnus sequebatur placidus, largusque qui etiam in sequentem diem cum remissione doloris, febrisque, durabat.

Topicis remotis tumores duo interiore parte manûs è regione digiti majoris, similiter ac superius intra digitum dictum & annularem, his apertis materia exibat alba pus verum referens; Locis apertis omnibus applicavimus idem unguentum quod ante applicaveramus digito læso, imò & *Cataplasma* denuo imposuimus.

Dolore remisso, tumoribusque similiter ac toto corpore ab impuritatibus purgato, inflammatione imminuta, quod digitus ob humorum, quos imbiberat, copiam, & duritiem

summam vel gangranam, vel actionis abolitionem minaretur, medicamentis iis uti consultum visum, quæ mundificandi vi pollerent, quibus dein, more solito, *Emplastrum* vel *Ceratum virginis* (vulgo *defensivum* vocatum) superimposuimus, spiritu vini prius madefactum; Horum usu die proximo & sequentibus materia purulenta bonæ notæ se exhibuit.

Tendinem digiti majoris, omninò corruptum circa manus palmam, quo pus ex ulcere delatum, sequenti modo abscidimus; instrumento exploratorio circa extremitatem globoso excipiebamus tendinem, hunc celeri manu, forficis acutioris ope ressecabamus, quo facto quod abscissum erat per locum in manus parte internâ apertum extrahebamus; digitum hunc ipsum, figuræ consulentes, aliquomodo introrsum incurvatum curavimus; imò ne ex humoris, imprimis acrioris, diuturniore detentione ossium corruptio augmentum sumeret, spiritum vitrioli phlegmaticum plumaceolorum ope ossibus applicavimus, & hâc ratione incarnatio debita secuta.

Finem imponerem observationi huic, de Tendinum læsione atque refectione agenti, ni promissis nostris stare cogeremur. *Manus* adeoque anatomen, quam in nosocomio nostro institueret concessum, hîc addere conveniens. Accuratam eam singularique industria peractam pro hoc tempore exhibebimus; quæ circa pedem proponi poterunt ab iis quæ in manu notavimus

V

diver-

diversa in aliud transferentes. Spigeliana scripta interea dum nostra hæc de materia prodeunt, legi possunt.

Manum velamenti universalis loco intus extusvè cingit *cutis*, de cujus natura structuraque cum alii prolixè satis egerint, non est quod nos aliqua proponamus.

Præter hanc ad ejus compositionem concurrunt.

Pinguedo, hæc licet pars haud sit simplex, plurimis tamen symptomatibus, iisque gravioribus occasionem præbere potest, imprimis ubi ab humoribus acrioribus, Topicis pinguioribus, aut etiam aëre externo alterata.

Venæ & Arteriae, quæ, extremitatibus apertis, ex puris acrimoniâ, humorem parti læsæ adferri faciunt.

Nervi, qui non rarò ab humoribus dictis corroduuntur, unde dolores summi.

Ossa, quorum considerabilis numerus; quædam enim, octo nempè, constituunt *Carpum*, inæqualia structurâ, hætenus innominata vocata, alia, quatuor scilicet, *Metacarpum*, carpo beneficio ligamentorum induratorum aut cartilaginosorum juncta. Reliqua, quindecim numero, *digitorum* phalangem; porosa hæc magis iis, quæ sunt Metacarpi, succi medullaris plus aliis possidentia, undè etiam facilius, citiusque humores affluentes recipere apta.

Musculi denique, valdè complicati; eorum XIX *Cabrolus* enumerat.

Pollicis motui septem inserviunt, horum tres medii,

medii, corpulentiores, tres interiores, septimus exterior, principium sumens ex pollicis radice, & in indicis intermedium primum definens.

Musculus hic in Tabidis atque leprosis, quique alii atrophiam brachii laborant, primo, omnium extenuatur,

Vola manus ad digitorum principia musculos duos possidet, qui ex ossiculi carpi primo, quod minimum digitem spectat, originem lumentes, internodio digiti dicti primo inferius, superiusque inferuntur, ut eum flectant, extrorsumque moveant.

Hos præter muscoli hic reperiuntur *quatuor Lumbricales* vocati, eorum origo tendine quadruplici circa flexorem digitorum tertium, finis in interstitiis digitorum, ubi terminantur illi monticulo manus continentur, eorum usus erigere digitos.

Accedunt insuper *musculi sex* intra monticulum detenti, externi tres & totidem interni; & horum usus extendere manum cum lumbricalibus, quivis enim eorum, similiter ac lumbricalium, digitum singularem accedit, alii tendine simplici, exterius extremo eorum juncto.

Extrema digitorum novem moventur musculis, eorum quatuor interni sunt, flectentes, quinque externi, extendentes, omnes principium sumunt ab internis apophysibus ulnæ.

Flexorum primus Palmaris est, ex membrana nervea constructus, cuti intimè adeò connexus,

ut rarissimum sit eum invenire, aut separare; in anatome aliquâ publicâ ab *Amplissimo D. Nicolao Tulpio* in Theatro publico instituta notare mihi contigit *Mathiam Kalkoen*, Chirurgum satis celebrem, horas octo impendisse separationi hujus musculi, rudiori licet.

Principium sumit à processu cubiti interno, sicque incumbens ulnæ ad digitorum confinia descendit. Continet hic musculos duos exiles, in volâ manus sitos.

Secundus, *Perforatus*, interius exoritur ex processu interno, terminatur in internodio digitorum secundo.

Tertius priorem *perforans*, ab ulna procedit ad digitorum quatuor internodium tertium. Uterque digitos flectit.

Uterque itidem firmamentum nanciscitur in primo secundoque digitorum ordine; ab armilla membranosa in suo situ validè detentur.

Quartus ex parte anteriore & superiore radii progreditur ad internodium pollicis primum.

Extensorum primus à tuberculo externo procedit in digitorum internodia omnia tendine quadruplici.

Secundus initium sumit in medio radii, finem nanciscitur in internodio indicis secundo.

Tertius paulo supra priorem exortus in internodio pollicis secundo terminatur.

Quartus tendine duplici radici pollicis adnascitur.

Quintus ex tuberculo radii exterius procedens

dens ad radicem minimi digiti properat.

Inter partes manum constituentes restant *Tendines*, quorum consideratio omnium præcipua.

Scriptorum varii Tendinem partem simplicem esse negant, inter eas licet vulgò numeretur. Musculi notatur processus s. cauda, ex ligamenti composita, ex nervis contexta, hinc in formam funis contata, in principio rotunda in fine plana.

Experientia quotidiana Tendinem sensus illius haud esse docet, cujus omni tempore habitus fuit. At verò vaginam membranosa in qua tendo, pars mobilis, lævisque detinetur, sensilem magis Tendine ipso observamus.

Sensus tamen hic obtusus magis eo qui Nervorum, eo quod Nervorum extremitates non terminentur in vaginâ membranosa, sed circa eam, intra musculos digitorum manusvè, hinc etiam est, quod, læsâ vaginâ dictâ, tardius incrementa symptomata, quam affectis nervis ipsis.

Sensilitatem Tendinum quod attinet, non est quod eam in abscissione aliquam dicamus, sæpius, quo, sensiles essent nec ne, constaret, eos sensim abscidimus, aut sine dolore; imò tendinem validissimum patellæ nexum aliquandò auferre coacti, ea quod circa genu corruptus, nec tamen de ullo dolore conquestus æger.

Ambrosius Parvus lib. 10. c. 38. mentionem facit Chirurgorum quorundam qui tendines, infra genu abscissos, *sutura* ope iterum, unire ausi.

Marcus Severinus effic. Chirurg. lib. 2. c. 123.
modum consuendi tendines & nervos docet.

Iacobus Boenaert, Chirurgus eximius, juramento nobis testatus est, non semel se adfuisse operationi Chirurgi regii jurati Parisiensis *Dn. Maynaert*, qua tendines digitorum, ense aut cultro abscissos, beneficio acūs incurvatæ, filique apti, reunitos reddidit, ut non solum figuram naturalem digiti retinuerint, sed & quovis modo iterum moveri potuerint, methodum qua processit citatus *Maynaert* in subiecto quodam demortuo cum admiratione omnium qui aderant, nobis communicavit, hanc tibi Lector amice exhibere haud detrectabo.

Primo omnium in digito maximo, loco qui internodium secundum & volam manus interjacet, cutem cum tendine ejusque vaginâ, dissecabat, & tendinem vaginæ inclusum versus manum retrahi manifestò notabatur, hinc cutem quæ erat inter manum & locum dissectum secundum longitudinem forfice dividebat, mox etiam subiectam vaginam, & hanc vaginæ sectionem in viventibus non sine gravi dolore perfici, assererebat; Hoc facto acu prædictâ filo fori commodo instructâ perforabat tendinem qui brachium respiciebat, & versus manum retractus erat, mox etiam alterum, digito inhaerentem, obvium satis, hinc, acu priore ablata, utriusque lateris filo imponebat particulam, primò corticis (*Kurck belgis dicti*) mox etiam plumbi, perforatam, magnitudinis ejus cujus additæ

additæ figuræ  fili dein extrema conjungebat, factoque circa plumbeam particulam, alteri lignæ incumbentem, utraque tendinis extrema tangentem, nodo, particulas hæc lateraliter se invicem attingere procurabat. Et hac ratione impediēbat, ne tendinum extremitates jungerentur, cū alias callus qui interponi debet haud invenisset locum.

Sutura hæc in Tendinum sectione usualis cognita videtur *Felici Wurtzio*, Chirurgo Basiliensi celeberrimo; libro enim de curatione vulnerrum cap. 14. hæc habentur verba: *Nervum hunc* (Tendinem ipsum intelligere censemus) *instrumento apto in conspectum producere debes, mox suturâ debitâ conjungere; vulnus verò ipsum apertum debet servari; & hac ratione nervi* (tendinis) *datur nova reunio, nec ager motu privatur.*

Et sic clarè satis declaratum judicamus sensum omnem tendinibus auferri non posse, nec tamen considerabilem eum iis tribuendum, unde Chirurgus recentiorum vulnerrum iis inflctorum curationem haud adeò difficilem esse abundè constat.

Partes alias manūs examinare hoc tempore non libet, plus utilitatis allaturum me confido, siquidem in gratiam juniorum nec adeò in arte Chirurgicâ exercitatorum, quænam circa puncturam nervi aut tendinis, recenter inflctam, peragenda sint, paucis edoceam, ne alias motu omni vulneratus privetur membri adeò

necessarii; rem hanc antequam aggrediar, considerare volumus Chirurgum (ubinam perforatio tendinum in digitis detur, non neglectâ observatione) iis locis, quibus tendines, ex profundiore loco collocatis musculis principia ducunt, collectionem præcipuam puris observare, imò etiam musculos tendinesvè (si modo in tempore accesserit Chirurgus) rarius exulcerationibus affici supra armillam, nisi Chirurgiæ inscitix aut corporis morbofo statui malum adscribendum.

Punctura recens Tendinis aut nervi, ab instrumento acutiore quocunque inducta quo in honorem Chirurgi, ægrotantisvè salutem curetur, illico foramini, sæpius ne quidem lynceo observabili, imponatur plumaceolum sequenti mixturâ madefactum.

℞. *Ol. Thereb.*

Spir. Vini an. part. j.

Ol. Cera in quo aliquid Ephorbii solutum part. y. M.

Huic superimponatur plumaceolum siccum, mox spatulâ ignita, aut stylo planiore, applicato, ut calor & vis mixturæ ad interiora læsa deferatur, efficiatur; hac inustione peracta plumaceolum Ung. Basilico inunctum, priore remoto, admoveatur, hinc Emplastrum stichticum Paracelsi, imò toti manui siquidem vulneratus digitus aut pollex, brachioque ad alas usque

usque *Ceratum Vigonis*, *Aceto*, aqua & spiritu vini calefactis madefactum, curâ debita habitâ deligationis convenientis, ope fasciarum liquore eodem madefactarum peragendæ. Non neglectis interim iis quæ pro rei exigentia sudore venæsectione vel evacuatione alvina corpus purgare valent.

At verò quod si dolor, inflammatio, & febris molestiam aliquam creaverint, iis uti necessarium quæ in prægressis proposita; & speramus eventum ægrotanti prosperum, arti Chirurgoque honorificum, qualem non semel nobis observare contigit.

C A P. LXVI.

De Unguinum structura & vitiis.

Nihil est, de quo negligentius tractarunt scriptores Chirurgiæ, quam de affectibus præter naturam in unguibus occurrentibus, cum tamen omni tempore se exhibuerint, imò quotidie adhuc se exhibeant qui Chirurgo æque ac ægrotanti molestiam non unam creënt.

Quod si iudicio accuratione consideraverimus, haud adeò quem in usum conditi, quam quibus partibus juncti, nullus erit qui non nobiscum plura hîc necessaria esse auxilia, quam hætenus proposita, confitebitur.

Antequam verò examen morborum quibus affici possunt aggrediamur, structuram eorum, originem, & usum cognoscere conveniens.

Quoad *Originem* valdè inter se dissentiunt Medici; arridet omnium maximè sententia *Galeni*, quæ com. ad prognost. proponitur, vaporem nempe aliquem ab extremitatibus digitorum extrorsum motum ab externo aëre condensari, indeque cornu similem squamam produci.

Felix Platerus de superf. corp. dolor. cap. 17. ex nervorum extremitatibus eos produci statuit.

Aliis placet ossiculorum digitos constituentium extrema hîc ut materiam assumere.

Haud crediderim à vero nos aberrare, siquidem non solum ex nervis atque ossibus eos consui dicamus, sed etiam secundum *Galenum* ex digitorum extremis, cò quod, absque omni dubio, totam partium compositionem respexerit *Galenus* quæ ad membri structuram concurrunt, quales Tendines, venæ, arteriæ, nervi, cutis & ossa, cum hæ omnes circa digitos terminum suum nanciscantur proximè sibi invicem connexæ.

Digitum anatome curiosa satis superque patefaciet tendinem superiorem digitorum in pede, manuque ad internodium ultimum sensim indurari.

Venas extremitates suas per cutem diffundere ex eo constat, quod cutis ad unguium marginem rubicundioris coloris reperiatur, quam aliis locis, ubi etiam separatione ejus ab ungue dolores gravissimi exoriri solent.

Eadem

Eadem ratio *arteriarum*, quæ nunquam destituuntur venâ vel nervo, relicta cute ungues ipsos accedentium. Ungues porosos esse, variis vasorum ramulis gaudentes microscopio evidenter notari potest. Imò, non semel nobis observare licuit, ubi festucam sub ungue hærentem extrahere animus, & ad hoc peragendum per partes unguem tollere necessarium, quo instrumento apto festucam apprehendere concederetur, guttas sanguinis varias se exhibuisse, certo indicio vasa sanguifera unguem variis modis pererrare.

Nervos ad unguibus tegi sententia *Plateri* est; imò etiam sensum aliquem eorum ope unguibus adferri exemplo seq demonstrabimus.

Maria Jacobi, Religiosa, acu vulneraverat unguem digiti indicis manûs sinistræ, undè intumescencia gravis, inflammatio, dolor; periculosa videbantur omnia, ad quorum sublationem & tempore & patientiâ opus, præterquam quod officuli ultimi ablationem metueremus. Non unguem ipsum, sed locum unguem partemque tendinosam (duo enim hæc accuratè distinguere vult *Plempius tract. de musculis cap. 25.*) interjectum acu læsum credebamus, quale quid observatum narrat, *Horatius Augenus Tom. 1. consult. & epist. med. lib. 9. cap. 2.* in factore quodam, qui etiam vulnere tali obiit.

Ægrotans unguium suorum sensilitatem summam, jam aliis Chirurgis notam prædicans, non applicari voluit medicamenta extremis digito-

gitorum, sed vero ipsis unguibus; nos desiderio ipsius satisfacere studentes eodem modo vulnus hoc unguis tractavimus ac vulnera nervorum tractari debere supra docuimus; & brevissimo tempore integrè curata.

Usus unguium antequam declaremus, scire convenit, *Cuticulum* etiam aliquomodo unguem investire.

Galenus digitorum extremis inhærere eos judicat ad meliorem apprehensionem.

Felix Platerus nervis esse pro integumento & propugnaculo.

At ulterius priusquam progrediamur, nostrum esse judicamus Lectori curioso periculum indicare, cujus subjecti omnes illi, quorum ungues quovis modo læsi.

Plinius cap. de morte repentinâ variorum 36. lib. 2. Q. Emil. Lepidum ex percussione unguis mortem contraxisse narrat.

Veterum exemplis haud indigemus, cum nostra tempora eorum numerum sufficientem exhibeant.

Iusto Brescis, Mercatori celebri pollicis pedis dextri ungui resectus mortis causa fuit, eò quod symptomata accederent gravissima.

Petrus Ioannis Koning, postquam jam per quadriennium unguis resecti curam habuisset, symptomatum supervenientium vi extinctus est.

Ioannes Isbrants Faber lignarius festucam ligneam excepit loco eo qui est sub ungue, quæ sym-

symptomatibus variis, & tandem morti ipsi an-
sam dedit.

Goose Pieterfon lanio cultro vulneraverat di-
giti minimi unguem, mox ejus quod solutum
à parte sana separavit, & intra triduum mors
supervenit.

Exempla alia eorum qui per morbos un-
guis, iisque supervenientia symptomata vitâ pri-
vati, non est quod proponamus; accedamus
vitia ea quæ unguibus supervenire solent parvæ
considerationis sæpius habita, cum tamen non
rarò satis molesta, periculosaque.

*Hier. Fabr. ab Aquapendente de operat. Chi-
rurg. part. 1. cap. 102. Quamvis inquit unguis
paucissimi usus esse videantur, quod ferè non nu-
triantur, & corporis partibus vix annumerentur,
tamen quadruplicem Chirurgiam requirunt.*

Considerabilis hîc unguis pedis, potissimum
digiti pollicis ad angulos introrsum in carnem
intrusio, ex usu calceorum aliorumque exter-
norum plus justo comprimentium, undè mem-
bri actio vitatur, imò in totum sæpius tollitur,
præterquam quod dolor & inflammatio sæpius
valdè soleant molestare. *Ab. Aquapendente*
præter alios propemodum innumeros à se cura-
tos quendam aliquando nobilem gallum curasse
se scribit, qui palam fatebatur se plus ipsi debe-
re quam proprio genitori propter restitutam
digiti sanitatem ex unguis pollicis pedis insinua-
tione intrusioneque in carnem ad ejus scilicet la-
tera.

Con-

Contigit nobis aliquando plus honoris lucrifque reportasse ex restitutione hujusmodi in *Nobiliss. Dn. Martino Thyssen Ankerhelm, & Archibatalasso Suecico*, quam unquam ab ullo ægrotantium.

Unguem alte se sub carnem & cum dolore defigentem quoties observamus, forfice valido, acutissimo, sectionem instituere necessarium; initio factò circa partem superiorem, procedendoque sic ad inferiora, ubi ejus radix; hoc peracto vossellæ operâ particulam unguis abscissam levi manu separare convenit, ne alias siquidem violentiâ quadam procedat Chirurgus inferatur periculum.

Operatione hâc peractâ plumaceolum loco læso apponatur *Ung. digestivo* calido inunctum. Utimur hoc quod balsamo quodam gaudeat tendines & ungues calefaciente.

Quod si exulceratio quædam carnis accesserit, præstantius nihil reperi, similiter ac in omni incipiente digitorum ulcere, *aquâ Mercuriali*, veneni etenim aliquid unguibus inesse, cujus vicutem, carnem, tendinesque a te ent, quo non privantur nisi applicatione sublimati ex quo aqua hæc conficitur, quod etiam venenum eorum tollit. Ungues enim, dentesque animalium docente *de Vigo lib. de vulner. cap. 4.* Medicisque aliis, nunquam veneno destituuntur.

Unguibus eorumque scobi venenum inesse clarè satis felium scalpura declarat *Fabr. Hildanus part. 1. obs. 86. & scobe Enstach. Rhodius.*

Ungues enim referente *Abele Roscio* apud *Hildanum* excrementis constant siccissimis, nullasque humiditates reservant; hinc est, quod vulneribus venenositatem adferant, imò cordi, totique corpori communicant: ex sculpturâ unguibus peractâ quosdam in delirium incidisse *Cœl. Aurelianus lib. 3. de celer. morb. cap. 9. testatur.*

Summa adeoque cura habenda, ut tendo inflammatus aut ab ungue alteratus, similiter ac caro ipsa, defendatur, & primo tempore exsiccet.

Levissimus licet sæpius visus nobis fuerit affectus unguium, negotii tamen non semel tantum nobis eos attulisse confitemur, ut pudorem intulerit diuturna curatio, sine successu instituta.

Medicus Clarissimus, scholæ publicæ in nova urbis nostræ regione moderator magni nominis *Joannes Pantinus* intrusionem hanc unguis pollicis pedis in carnem contraxit, cujus curatio ultra septimanas sexdecim miris modis nos vexavit, etiamsi singulis diebus eum accederemus; quæcunque secando, separando, exsiccando tentaremus frustranea omnia; latebat nos tardioris curationis causa, carnis læsæ crassities eadem perdurabat, cum effluxu materiæ purulentæ optimæ digestionis. Tandem instrumento nostro exploratorio particulam ab ungue forfice separatam carni prædictæ inhærere notavimus, quo ablato curatio ex voto absoluta fuit.

CAP.

CAP. LXVII.

De Morsu ab homine inflicto lethali.

NON omnes hominum brutorumque morsus venenati sunt, teste scriptore veteri *Guidone*, verum illi soli, ut clarè docet experientia, qui ab irâ inflatis, maniacis, ac venenatis à naturâ animantibus infliguntur: Quamvis *Cornelii Celsi* ea sit opinio, ut morsus, scalpurae, punctiones omnes, imò ipsa animantium spuma (eorum tamen præcipue quæ venenosæ naturæ aliquid includunt) aliquatenus semper eam virulenta sint, ac corpus ejusque partes inficiant. Virus itaque his modis venis impressum, ac per illas delatum ad cordis sinum, nullam sui divisionem à medicamentis sive abstergentibus, sive purgantibus fieri patitur, multò minus sanguinis exigit evacuationem, quod in medicæ artis exercitatione multoties observavimus, atque hâc observatione stabilire satagimus. Hæc tamen morsus vulnera stomachi ac intestinorum evacuatione mundationeque curanda statuit *Vigo*, lib. 3. de vuln. cap. 4.

Ambrosius Paræus lib. 20. de venenis &c. in hoc casu perpetuum hoc esse debere docet; ut non sanguis detrahatur, non catharticum, non clyster, non vomitorium, non balneum, non aliud quicquam sudoris provocatorium exhibeatur, ante triduum à morsu aut punctura exactum.

Hildanus vulnera licet ab homine irato aut cane

cane rabioso, vel animalibus venenatis inflicta, venenata habeat, uti ex observationibus variis cognoscere licet, *Vigoni* accedere videtur, dum in suo *Esaia Rapin* non solum purgantibus utitur, sed & venæsectiones instituit.

Servus cujusdam subprætoris à fure quodam quem apprehendere conabatur ex morfu vulnus accipiebat ad articulum pollicis dextri, cum ossis aliquâ comminutione; Dolor illicò accessit intolerabilis, manum, imò brachium ipsum occupans, ad alas & scapulas se extendens; opem nostram implorans seq. modo tractabatur.

Primò parti læsæ imponebamus *Ung. Basilicum* cum exiguâ quantitate *Theriace*, *Vitello ovi*, & *Oleo Verbasci* commixtum, brachio verò, manuique *Emplastr. Vigonis* cui aliquid *Theriace cum spiritu Vini* additum.

Die sequenti, quod delirium sat grave adesset potionem hanc *sudorificam* exhibebamus.

℞. *Diascord. Fracast.*
Theriac. an. ʒ j. ℥.
Spec. liberant. ʒ j.
Salis absinth. gr. xij.
Syrup. de Limon. ʒ ℥.
Aq. Card. bened. q. s.
M. F. Potinncula.

Ex hujus usu, sudore largiter profluente, ad se rediit æger. Pollex insigniter intumuerat, cum dolore gravissimo, eo imprimis loco ubi

X

vulne-

vulneratus, necessarium adeoque nobis videbatur tumorem hunc ad os usque aperire, & effluxit pus aqueum, acre; Manui applicabamus *Cataplasma* sequens, ad inflammationem arcendam, intumescentiam imminuendam, dolorem mitigandum, venenum auferendum, ulterioremque corruptionem inhibendam.

℞. *Alicar. aven.* ℥ j. ℞.

Pulv. fol. Ruthæ, Scordii an. ʒ j.

Flor. Sambuc. ʒ j.

Coquantur in cerevisia tenui ad formam Cataplasmatidis, dein addatur butyri recent. q. s. M.

Uso hujus *Cataplasmatidis* multum nos effecisse videbatur, at die octavo vel nono maculæ rubicundæ in toto corpore apparebant, cum sudore foetido,

Ad hæc *juloriferum* præcedens denuò exhibitum, at, sudor licet copiosus prodiret, febris tamen gravis comitabatur. *Anxietas cordis* accedebat gravis, deliquiumque animi frequens. Advocatus medicus, nobis absentibus, cujus tamen usum interdixeramus, medicamentum exhibuit *purgans*, undè deliquii incrementum. Ad sitim summam *Julapia* summè refrigerantia, aliquali cum successu, exhibita.

Die sequenti ægrotantem reperiebamus summè anxium, & quasi stupidum, Medicus venæsectionem, nobis contradicentibus, à Chirurgo alio

alio institui curavit, quam paucarum horarum spatio cum anxietate gravissima mors excepit.

Vix anima discesserat, cum corporis totius intumescencia summa notaretur, cum foetore sulphureo intolerabili, adeò ut cistæ feriali id includere coacti fuerint consanguinei.

Et sic vel hoc exemplo quid venenum valeat, imprimis animalium iratorum delirantiumvè vi communicatum, colligitur, imò etiam quid commodi incommodivè à medicamentis purgantibus, & sudoriferis expectare habeamus.

C A P. LXVIII.

De Abscessu digiti nodoso.

Celeberrimus, & in arte Chirurgica exercitatissimus D. *Marcus Aurelius Severinus* singulari de abscessibus tractatu tumores nodosos varios, in manibus, pedibus, digitis, pollice occurrentes descripsit, qui membrorum summam induxerunt deformitatem, eò quod præter modum, ligamentis, carnibus, cute, extensis, dilatarentur.

Hujus conditionis abscessus erat, quem in rustico 50. annor 1642. Patavii vidit magnus *Bartholinus*, ut habet cent. 2. hist. 53. cui ab annis duobus pollex in tantum tumorem excreverat, ut caput hominis exæquaret, & præter unguem nihil digiti conspiceretur.

Prætermittere nequeo, quin hîc exhibeam

X 2

digi-

digitum monstrosæ figuræ , in fartore quodam
Eduardo Willemson , ablatum , ponderis viginti
 unciarum.


Contraxerat hic exiguum in digito mediæ
 manûs sinistræ circa articulum majorem tumo-
 rem , cujus curam ipse primò , hinc circumfo-
 ranea quædam , habuerat , varia applicando Em-
 plastra & Cataplasmata , unde sine dolore & pu-
 rulentia insignem in molem intumuit digitus.

Anicula artis Chirurgicæ ignara , experienti-
 tamen suæ plurimum tribuens , incisione qua-
 dam digitum aperiebat , unde materia aquea , in-
 concocta , effluebat , cum doloris exacerbatione
 summâ , & curationis instantis vanâ persuasio-
 ne. At quæcunque usurpabantur frustranea om-
 nia , adeò ut etiam ab ulteriore aliorum usu ab-
 stinere coactus æger.

Quicumque in consilium vocabatur Chirur-
 gorum , nihil omninò levaminis adferebat , imò
 omnia indies in pejus vergere videbantur , ade-
 ut tandem figuræ & conditionis ejus cujus ap-
 posita delineatio nobis obtulerit digitum , quem
 summâ cum molestiâ per annos quinque cir-
 cumgestaverat , id unum indicari summopere
 contendens : num aliqua curationis spes hîc su-
 peresset , salvo digito.

Nos consideratione habitâ tumoris , consti-
 tutionisque ossis subjecti , verum hîc adesse os-
 sis Cancrum , qui *Spina ventosa* aliis dicitur , pro-
 nunciavimus ; ad hoc verò malum tollendum
 sic ut digiti crassities imminueretur , tumor au-

fer



ferretur, ossisque corruptio ulterior inhiberetur, integro manente digito, nihil remedii superesse; Interim tamen Chirurgiæ locum aliquem concedi, qua exstirpetur digitus, ad tumoris, doloris, fœtoris, molestiarumque ablationem, modò ossicula metacarpi, partesque vicinæ simpliciores in statu sano existerent.

Placebat ægrotanti propositum nostrum, simulque primo tempore ad *operationem* dictam nos accingeremus, obnixè rogabat, sic fore sperans ut à dolorificâ, ponderosâ, hinc molestâ modum, sarcinâ brevi liberaretur, ad *eam* deoque majori cum fructu quo pervenire concederetur, fasciam validè constrictam manui præ carpum imposuimus, ad sanguinis efflu-

xum inhibendum, hinc cultri acutioris ope sectionem instituímus inter digitum læsum & indicem usque ad medium ossium metacarpi, mox eodem modo in opposito latere inter digitum læsum & annularem, procedere animus erat, quo sic, utraque parte separatione sufficienti institutâ, in parte ossis metatarsi adhuc sanâ exstirpatio iusta perficeretur, & ablato digito deformitas omnis quantum possibile tolleretur. At intentioni meæ se opposuit Chirurgus alius non nisi in osse ipsius digiti malum radices fixisse, nec ullo modo ad ossa alia se extendisse, sibi certo persuadens.

Quod vanam hanc opinionem ex animo Collegæ mei auferre nulla arte liceret, etiamsi certiore curationem cam dicerem quæ ad modum à me propositum, & jam ex parte peractum institueretur, imò minus deformitatis sic accedete manui, siquidem altiori loco in osse metacarpi sano exstirpatio perficeretur, imò dolor ex ligatura gravis satis celerem operationem urgeret, nolens volens digitum affectum circa articulum abstuli.

Ad hæmorrhagiam pulverem usualem stypticum applicabamus, partis dissectæ labia fasciæ convenientis ope conjungebamus, ligaturâ carpo injectâ solutâ; & secuta fuit quies per diem noctemque.

Usque in diem vigesimum omnia prosperè succedebant, quo tempore circa articulum manus carnea quædam excrescentia acûs majoris

caput

caput magnitudine referens se exhibuit, varia eidem applicabantur exsiccandi, consumendi-que virtute prædita, ast nihil effecerunt, quin contra eam in molem augmentum sumpsit tumor, ut pondus duarum triumvè librarum referret.

In re desperatâ nullum superesse medium videbatur præter totius manus ablationem, ad eam devenire nullâ præmissâ consultatione arduum, placuit adeoque, consentiente ægro-tante, in consilium adducere *Viros Clarissimos Dn. Joannem van Hartogvelt, Guiljelmum Pisonem, Medicos, Dn. Petrum Lupenum, Theologum, Georgium van Loon, & Daniele Florianum, Chirurgos.* Omnes, perspecto morbi statu, consideratisque iis quæ in prægressâ operatione peracta, neglectaque, omnimodam manûs extirpationem unicum, si aliquod, recuperandæ sanitatis remedium, declararunt.

Operatione peractâ, die decimo, quod & vires valdè vehementia symptomatum fractæ, & febris gravis, continuò molestaret, interiit æger. In manu amputatâ evidentissimè nobiscum annotabant omnes, in Chirurgia exercitati, siquidem extirpatio prima in parte ossis sanâ fuisset peracta, curari potuisse malum. Ut adeò consideratione nostrâ digna sint, quæ de *Pedarthrocace S. Spina ventosa* habent *Paulus Barbette anat. præct. cap. 3. & Severin. cap. 24.*

CAP. LXIX.

De osse dextri brachii adjutorio, motu integro permanente, ablato.

NON sine causa magnus *Hippocrates*, ad *Thesalium* filium scribens, Ossium cognitionem tanti facit, ut etiam difficillimum judicet. Ossa luxata, fracta, contorta, aliisvè modis male constituta, à Chirurgo restitui, curarique posse, cui eorundem structura, atque connexio ex debito non cognita; hanc autem convenientius acquiri non posse nisi ex legitima consideratione eorum quæ in sceletò occurrunt. Similia *Galenus* variis locis proponit. Necessarium adeoque summoperè, ea quæ ad constructionem ossium, articulationemque faciunt, intimè cognoscere, ne ægrotantes, quemadmodum cum multorum infamiâ multoties contingere notamus, auxilia carnificum, aliorumque illius conditionis hominum implorare cogantur.

Non lubet errores variorum adducere, legi possunt quæ hac de re variis locis habet *Hildanus*. Sufficiat exemplum proposuisse, quod anno 1664. occurrit.

Puellula, per tres annos subjecta fuerat curæ circumforaneæ, quod brachii dextri, inter flexuram cubiti & scapulæ, tumore laboraret ex decubitu humorum, cum dolore gravi; luxationem aliquam hîc subesse sibi persuadens mulier dicta, variis extensionibus, flexionibus, in

antica,

antica, postica, superiora, inferiora, illud effecit, ut aucto & dolore, & tumore ab opere desistere coacta fuerit. Haud tamen, omnia bona & sibi & ægrotanti promittens, Cataplasmata atque linimenta negligere voluit, quorum etiam usu effecit, ut, præter intentum, ex materiæ collectæ, suppuratæque abundantia, abscessus fuerit ruptus. Huc cavernæ variæ pure scatentes, toto eo spatio quod cubitum humerumque intercedit, se exhibuerunt. Quæcunque hoc in statu adhibebat nihil efficiebant, foramine uno clauso aliud exoriebatur, eò quod pus contentum viam sibi faceret, & ossis subjecti corruptio adesset.

Tandem, post mortem utriusque parentis recepta in domum publicam; quâ sustentantur superstites pauperum liberi, *Orphanotrophium* vulgo vocatur, per aliquod tempus curæ subfuit Chirurghi ordinarii *Joannis Swart*, observans hic majoris momenti affectum esse quam qui ab uno Chirurgo tractaretur, superiorum permisso me in consilium advocavit.

Accedens brachium loco supra indicato insolitum in modum tumefactum inveni, imò induratum, suppuratumque, cum ossis subjecti carie, rebus omnibus rite consideratis consultum visum fuit, utraque foramina, ad quatuor transversorum digitorum latitudinem à se invicem distantia quorum unum exterius ad tephysin ossis adjutorii, alterum interius magis apparebat, per sectionem Chirurgicam ope for-



ficis conjungere, apertione facta vulnere imposuimus plumaceolum, deligationeque convenienti facta ab opere ulteriori abstinuimus usque in diem sequentem.

Hoc tempore forcipe apprehendere placuit os subjectum, quod etiam, levissimo labore, ejus magnitudinis, cujus addita figura, adeoque ferè integrum, extraximus, non sine admiratione & nostrà & adstantium, quam summo-perè auxit, quod sine ulla motûs brachii læsione ablatum fuerit.

Sanguinis fluxu sedato, vulnere ad doloris sublationem, applicavimus *Ung. deflessiv. thereb. cum ovi alb. & Ol. hyperici*, similiter ac *Emplastrum Vigonis*. Hinc singulis diebus mundificativum & exsiccativum hoc adhibitum.

℞. *Sevi Hirci. Bovis an. ʒ ʒ.*

Ung. sagax. ʒ ʒ.

Thereb. tota ʒ ʒ.

Ol. Cera ʒ ʒ.

Hypericon. q. s.

Mercur. precip. ʒ ij ʒ.

F. Mixtura.

Deligatio non nisi fasciâ peragebatur in spiritu vini madefactâ, ad humorum expulsionem, musculorum verò cutivè conjunctionem. Et horum medicorum usu brevi curatio absoluta.

Ex observatione hæc cognoscere licet, nullum artis Chirurgicæ cultorem verum haberi debe-

debere, nisi qui in *Osteologia* benè versatus, cum sine notitiâ structuræ connexionisque ossium impossibile sit ea quæ circa luxationes, fracturas, similiaque vitia alia occurrunt, ritè tractare; Cognitionem hanc siquidem habere nequeat ex oculari inspectione ossium ipsorum sceleton constituentium, habebit aliquam ex consideratione eorum quæ figuris suis exhibent Anatomici.

Quod si in hâc Anatomix parte excellere magis studerent Chirurghi nostri, & nomini suo plus honoris, arti plus famæ, circumforaneis verò plus detrimenti adferrent.

Alterum hîc considerandum naturæ providentiam spectat, quâ ablatae partis in locum ea reponere observatur, quorum ope actio requisita exerceri queat. Ita notare nobis licuit in milite quodam anglo femoris os totum abscessu consumptum, & ablatum fuisse, & tamen incessum neutiquam lætum, eo quod in locum deperditi substantia alia regenerata. Quale quid observasse se scribit *Carolus Battus Chirurgia sua part. 4. cap. 8.*

Ita ossis femoris partem separatam ab *Huyberto Kok*, *Chirurgus Woerdensi* extractam narrat observat. Chirurg. parte secunda *Henricus à Roonhuysen*.

Simile huic exemplum, quod modò proposuimus, quo in ophanâ dictâ adjutorii ossis magnam partem ablatam vidimus.

Quo modo natura in ossis hujus ablatione,

NOVÆ

novæquæ substantiæ regeneratione processerit, explicare arduum, suspicionibus si aliquis concedatur locus, talems hîc obtinuisse judicamus. Indicavimus in prægressis, parte brachii superiore intra musculos collectionis humoralis initia sese manifestasse primò, cum dolore, & tumore, hinc materiam, successu temporis in pus mutatam, quod exitum convenientem haud inveniret, retentioneque diuturniore acrimoniâ acquireret, primò periostrium, mox os ipsum, consumpsisse. Os corrupto, materiæ ad conservationem ejus accedere solitæ, sanguinis nempe parti crassiori, terrestriorique, ulterior accessus denegatus, undè factum, quod, quæ in os ipsum converti non poterat materia, ad musculorum integumenta interiora, eorumque interstitia prolapsa fuerit. Accessit transsudatio crassior partim ex Epiphyssi capitis superioris ossis adjutorii, partim ex osse separato, undè, ad generationem calli, materia adducta, quæ, facultatis nutritivæ vi, loco dicto genito.

C A P. L X X.

De Ossis calcis corruptione.

CUm aliquando observationes curiosas Chirurgi excellentissimi *Fabr. Hildani* perlegerem, occurrit sectionis sextæ 94. *Habeo inquit nunc inter manus affectum ex meliceria contractum, qui gravissimus & tamen ex levissimâ causâ ortus fuit. Recensebo enim paucis. Juvenis* qui-

quidam quatuordecim annorum ætatis, Reverendi & Doctissimi Viri Dni. Jacobi Haberuteri, quondam hujus ærbis ætini verbi ministri filius, cum 10 Augusti 1622. pedem inter decambulandum leviter contorisset, & ab initio circa curationem error a barbitonsoribus commissus fuisset, exoritur primo dolorem maximum sequuta est inflammatio totius tibiæ, & ad coxam ferre usque. Febris item maxima, inquietudines, nausea, cum virium prostratione supervenerunt. Tandem, videlicet 8 Octobris cum à barbitonsore suo derelictus, & affectus pro deplorato habitus fuisset, ego quoque advocatus fui. Tum circumcirca juncturam pedis novem inveni ulcera, & quidem nonnulla eorum ad ipsam articulationem usque penetrantia. Ex quibus ichorosa materia tam copiose aliquamdiu effluxit, ut mirum sit unde in corpore tam extenuato & debili, tanta humorum colluvies provenire potuerit. Ligamenta, imo & ossa ipsa erosa erant. Os calcis (quod dicam admiratione non vacat) in medio ex unâ in alteram partem, ut progressu temporis vidimus & cognovimus, perforatum fuit, ac si aliquis terebello notabilis magnitudinis illud perforasset. Perforationem hancce ossis, cum durante curatione invenissem, funem ex uno in alterum latus per ipsum os traduxi, quò ossa cariiosa extrahere possem, in medio tibiæ ulcus erat cuniculosum, ex unâ enim parte ad genu usque protendebatur, ex altera vero ad talum usque fere descendebat ab initio omnem adhibui diligentiam atque industriam, ut dolores

lores quamprimum sedarentur, & vires (quæ adeo labefactata erant, ut mortem proximam esse omnes putarent) efficerentur. Deus ita benedixit remediis, ut duos hosce scopos paucis diebus absolverem, postea ulcera mundificavi, ligamenta putrida, & ossa cariota atque a virulenta illa materia contaminata extraxi. Curatio per quam difficilis & laboriosa fuit, omnia tamen, laus sit Deo, nunc in tuto sunt, etiamsi ulcus, quod, ut antea dixi calcaneum perforavit, nondum peritus cicatrice sit obductum. Genu, quod propter magnitudinem morbi, & retractionem nervorum, incurvatum erat, in pristinum statum restitutum quoque fuit. Articulus tamen pedis rigidus immobilisque permanebat. Id enim plerumque, quod ante me nullus, quod sciam observavit, fit in meliceride, quando ligamenta & cartilagine ossium eroduntur: tunc enim mediante callo coalescit junctura, fitque rigida, uti fusius, & quidem exemplis Deo volente, in tractatu meo de meliceride ostendam. Hanc conferre placuit cum ea quam exhibuit filiulus Gilberti de Fines, Mercatoris primarii, puer septem annorum, pituitosus.

Contraxerat hic, ex improvise, ex decubitu catharri crudioris, tumorem circa pedis dextri extremum, unde motus læsus. Circumforaneus articuli contorsionem subesse censens, variis modis membrum extendendo, id effecit, quod febris gravis, cum membri affecti, imò totius pedis, tumore summo, inflammatione, atque dolore, supervenerit.

Abdi-

Abdicato circumforaneo ; *mibi & collegæ meo Dn. Henrico van Roonhuysen* cura commissæ. Accedentes instrumeto exploratorio ab uno pedis latere in oppositum , ubi tibiæ cum pede extremo articulatio , transitum concedi experiebamus , imò os calcis molle admodum ex humorum abundantia.

Evacuatis ope medicamentorum *purgantium* humoribus superfluis , ad doloris sublationem , tumorisque inflammatorii imminutionem *Cataplasma* hoc applicavimus :

℞. *Alicar. Hord.* ℥ j ℥.

Herb. Ruthe, Althæe.

Flor. Chamomill. Sambuc. an. m. ℥.

Coq. in lact. dulc. ad consistent. Cataplasmat. cui adde butyr. recent. q. s.

Materiæ purulentæ circa os dictum hærenti quo exitus commodior concederetur , particula medullæ sambuci foramen dilatare necessarium duximus , hinc parti affectæ plumaceolum imposuimus spiritu vitrioli madefactum , præterquam quod suppositoria nobis ad partium corruptarum exsiccationum usualia haud fuerint neglecta.

Ad divertendum humorem ex femore defluentem *fonticulum* infra genu effecimus , loco antea ulceroso necdum integre curato.

Pedi ad corborationem , humorumque absorptionem *Cataplasma* seq. imposuimus.

℞. *Cer-*

℞. *Cortic. quercin. subtil. pulv.* ℥ xv.

Farin. Fabar. ℥ vj.

Oliban. Mastich. an. ℥ ℥.

Fœcis Aceti vini q. s.

M. F. Cataplasma.

Medicamentis omnibus frustra hæctenus adhibitis, consentiente patre, viro iudicii singularis, ad *Canterium ætUALE*, secundum monitum *Hippocratis*, devenire placuit. Applicatio ejus ad hunc modum instituta.

Primò cannulam aptam, ex bractea confectam, plumaceolo investitam, aquæ, ne partes vicinæ læderentur, intinctam, per foramen medullâ sambucinâ satis jam ampliatus usque ad os ulceratum dimisimus, hinc per eam Cauteria ignita parti ulceratæ imposuimus. Et hac ratione singulis diebus processimus, usque dum in applicatione cauterii nullus percipiebatur sonus, & particula ossis magnitudinis ejus cujus addita figura separabatur.



Hac ablata medicamenta sarcotica usurpata, & secuta curatio, nisi quod exigua humoris copia semper exitillare continuaverit, quem frequenter tendines & ligamenta exhibere solent. Et hoc est quod etiam in filio *Jacobi Habermieri*, post curationem reliquum dicit *Hildanus* observatione citata.

Similis omninò Curatio fuit in *filio* 14 annorum, nec non *viro Holsato*, nisi quod in hoc liquoris effluxus integrè substitit.

Y

Obser-

Observationi huic finem antequam imponamus, monere cogor, ægrotantibus æque ac Chirurgis patientiâ singulari opus esse, quoties ossis dicti exsiccatio procuranda; vix tædiosa magis curatio in universâ nostrâ arte eâ quæ in ossis hujus corrupti correctione occupata, confirmant hæc non nobis solùm, sed & scriptoribus variis aliis oblata exempla. Ratio vel cognita Chirurgis, vel facilè cognoscibilis, ab abundantia insigni medullæ sanguinolentæ in osse hoc desumitur, quæ necessaria admodum, ne in motu quovis imprimis violento, casu, cursu, saltatione &c. facilè frangeretur.

C A P. LXXI.

De fracturis Ossium, nulla accedente coalitione.

Contingere non rarò observamus, ossium extrema in fracturis haud reuniri, quæcunque etiam externa æque ac interna adhibeantur medicamenta.

Exemplum huc faciens considerabile, non nisi semel (quod in Chirurgo adeò exercitato admiramur) visum proponit *Fab. Hildanus obs. 91. cent. 3.* his verbis: *Antè duos menses ex Germaniâ redux, Basileæ fracturam observatione dignam in quadraginario vidi. Hujus viri brachium sinistrum cum ante annos decem rotâ molendina apprehenderet inter cubitum & carpum ossa in transversum adeò confregit ut omninò inter se disjungerentur, cutis quinetiam & musculi*
mirum

mirum in modum dilacerarentur. Dolor supervenit maximus, inflammatio & intumefactio totius brachii, non solum ob magnitudinem morbi, verum etiam quod ossa in suum locum reposita non fuerant, carnemque continuo compungerent. Multum puris per menses aliquot effluxit, multaque officula a Chirurgo extracta fuere; tandem remiserunt symptomata, & consolidata fuerunt vulnera, sed ossa disjuncta remanserunt, & ita quidem ut eo in loco veluti alterum articulum constituerent. Manum enim dextram si adhibet, sinistrum brachium antrorsum & reirorsum ducit, non secus ac si naturalis priore in loco articulus esset, idque sine ullo dolore. Ossa se invicem non attingunt, sunt enim extremitates ipsorum callo obductæ, brachium aliquo modo extenuatum est. Cubitum quidem movet, sed difficulter, quapropter brachium ferè inutile est. Cæterum quid causa sit cur ossa in hoc viro per callum connexa non fuerint, perfectò me latet; nisi forsàn improprium nutrimentum ossis, ex quo, teste Galeno, callus procreatur, in pus conversum unà cum pure effluerit, aut caro & membrana aliqua inter utramque extremitatem ossis intercederit. Adeoque natura adeo est diligens atque provida, ut extremitates ossium confractorum, licet levissimè se contingant, statim conglutinet atque conjungat.

Exulcerationes fracturis supervenientes quacunque à causâ, primitiva sive fuerit, sive antecedens, sive etiam conjuncta, impedimento esse posse, quo minus ossium detur coalitus, ma-

ximè cum alimentum ossium suffocationi, consumptioni, corruptioni, aut cum pure evacuationi anſam præbent, haud impoſſibile nobis videtur; at quis rationem dabit, unde eveniat quod oſſa fracta haud reuniantur, ubi exulceratio nulla adest, imò nulla vel in cute vel in musculo continui obſervatur ſolutio? Notare etenim nobis licuit, non ſolum in ulna & radio, oſſibus adjutoriis, tibia & fibula, ſed & (in duobus licet ſubjectis) oſſibus femoris, per infortunium fractis, quæcunque etiam uſurparentur media, interna æquæ, inter quæ conſiderabilis Ichtyocola, ac externa, emplaſtra, ſplenia, ligamenta, nullam ſecutam extremitatum unionem, etiam omni exulceratione abſente.

Cauſa hujus rei quæ fit, cum prædicto *Hildano*, me ignorare fateor, niſi dicamus, deligationem in fracturis uſualem, non urgente dolore, tumore, inflammatione, aut gangræna, frequentius juſto fuiſſe ſolutam, vel etiam humores ad calli concretionem promovendam neceſſarios plus debito attenuatos; ſplenia brevia nimis aut molliora applicata, imò fractam partem, ad arcendam incaleſcentiam quandoque ſupervenientem, nimium humectatam. Et harum ultimam calli generationem impedire ſatis conſtat. Spleniorum nimis brevium, molliorumque applicationem, hinc deligationem minus arctam efficere poſſe, quo minus extremitates oſſium fractorum coëant, in nautâ quodam, cui ex itinere

nere reduci os humeri dextrum diffractum, in quo quod splenia mollia nimis usurpata, nec manus extrema cum ulna ex debito sursum flexæ, nulla extremorum coalitio secuta.

Externis impedimentis sic consideratis, Chirurgus in arte exercitato interna adhuc varia occurrunt, quæ ad id ut extrema ossium fractorum callo nullo obducantur plurimum facere possunt. Tales humores nutritii os accedentes minus pingues, aquosiores, corrupti, imò etiam nonnunquam omninò maligni, habitâ tamen ubivis consideratione structuræ corporis & ossium.

Observare nobis licuit in aliquo, morbo gallico quasi tabefacto, ossa adeò fuisse exsiccata, imò arefacta, ut ad quemvis attactum frangerentur, sic enim claviculam in partes varias contractam in eo vidimus dum thorace pectus vestire conabatur.

In tali casu, ubi ossium extrema uniri recusant, nil convenientius, quam, instrumento quodam apto, ex ferro confecto, utrinque membrum comprehendere, extremaque conjungere, ne in motu, vel incessu incommodum aliquod ægrotanti adveniat.

C A P. LXXII.

De Tibiæ corruptione, perforatione sanata.

INter ulcera omnia quorum ingens & numerus & differentia, haud minimæ considera-

Y 3

tionis

tionis illa quæ ossa occupant, quorum in causa siquidem inquirere luberet, laboris plus sumeremus, quam utilitatis adferre remus.

Joannes Everardi, Danus, ulcere duplici profundo circa malleolum pedis dextri, oblique ab externo ad interna se extendente, aliquomodo ad tibiæ medullam procedente, laborabat. Vix spatium aliquod intercedebat inter tibiæ partem, solidam duramque valdè, & medullam dictam, in qua mali sedes hærebat. Cauterio actuali hîc non indigebamus, quod in tibia satis nutrimenti adesset, ut per partes separari posset




consultum adeoque visum sectionis ope duo ulcera conjungere, quo os denudaretur, hinc, secundum monitum *Celsi lib. 8. cap. 2.* trepano perforare os, tribus locis distinctis, uti præsens figura



adumbrat usque ad locum corruptum. Quod inæ-

quale aderat, cunei ope auferebamus, ut hîc intueri licet, quo omnia æqualia forent, hinc usu *Spiritus vitrioli* sæpius admoti separationem ossis expectabamus, quæ etiam brevi tempore, similiter ac omnimoda curatio, secuta.



JOBİ à MEEK'REN

OBSERVATIONES

Medico-Chirurgicæ

P O S T H U M Æ.

OBSERVATIONUM Medico-Chirurgicarum POSTHUMARUM

C A P. I.

De Monstris.

Fortunius Licetus libro de *Monstris* (quo quidem in opere licet miranda veniat figurarum varietas, longe tamen magis animum percellunt, quas varietatis hujus adducit origines) operosè disquirens quo ex capite portentorum alterum, sive exuperantiâ, sive defectu materiæ, sive quacumque deformitate, alterum longè superexcedat, non aliam hujusce rei causam allegare videtur, nisi & assiduas phantasiæ impressiones, quæ in uterum speciali ratione assiduo redundant, & materiæ defectum; quas binas causas statim numero concludit *Paræus lib. 25. cap. 1.* *Aristoteles* verò solam postremam tanquam omnis hæc in re discriminis scaturiginem assignat.

Verum contra luctatur avidissimus scientiarum zelator *Wilhelmus Harvæus*, qui in suo *de generatione animalium volumine* demonstrat, non materiæ copiam, sed hujusce qualitatem animalis generationem operari.

Ast huic sese vulgaris opponit opinio, vix hominum phantasiæ evellenda. Etenim, ait, materiæ copia plures uno partu foetus sæpenumero produxit, ut ex *Paræo* aliisque colligere licet.

Y 5

Judi-

Judicat *Nicolaus à Massa Epist. 29. tom. 2.* non solam materiæ inopiam, verum etiam parentum senium, mutilam posse prolem generare, in cujus rei probationem se partum conspexisse Venetiis narrat, post quindecim mensium in utero moram, oculis, manibusque privatum. Cujus rei culpam in patrem septuagenarium simul ac matrem sexagenariam conjicit.

Nos interim causarum multitudini supersedentes, nil hâc in re satius statui posse sentimus, quam potissimam, quin imò & solam monstrorum scaturiginem in imaginatione ponendam esse.

Impressiones in cerebro factas in semen atque uterum efficaciam suam diffundere, asserit *Empedocles*; Ac nobis quidem hæc humorum spirituumque cum utero communicatio hunc in modum exponi posse videtur: observare licet minores corporis vires sive potentias à majoribus recipere influxum, in tantum sæpius, ut etiam operationes naturales superent. Animadverti id potest in vehementioribus animi passionibus, ut ira, tristitia, dolore, &c. quæ ex liene nasci judicantur; quod ipsum propugnat *Joannes Baptista ab Helmont*, in *sua medicina Aurora* ita disserens: *masculus quoque, quamvis matrice careat, sue nihilominus figuræ circa splenum efformat effigiem.*

Imaginatio igitur, quæ potissimum, ut dictum, hac in re operatur, in spiritus humoresque dominatum exercet, dum ad integrum efformandum foetum universæ naturales potentia collaborant: hinc accidit ut prægnantes intus
com-

commotæ, spiritus animales atque humores transmittant ad uterum, ac ea quæ per commotionem recepere phantasmata, tenello foetui communicent atque altius imprimant.

Inter Belgas littoribus maritimis vicinos, plurimi nigro crispato capillitio, ac fusco aspectu conspiciuntur, quod non incongrue tribuitur, aut temeriei aëris, aut clymatis genio, aut consuetis loci alimentis, aut demum occultis foeminei sexus phantasmatis & impressionibus. Ita Levinus Lemnius lib. 1. de Complex.

Quorum quidem phantasmatum tanta vis est atque efficacia, ut quidquid conceptionis momento mulieris occurrerit phantasiæ, id omne concepto foetui imprimatur.

Audiatur denuo *Joannes Baptista ab Helmont*, qui de febris tractans sic ait: *Palam nihilominus est cur mulier prægnans gravius laboret quovis alio homine cum uterus vicinus sit vasi in quo spirituum commotiones universæ peraguntur.*

Monstra omnia à variis observata, ubi imaginationis fortis causa mali fuit quod si proponere luberet, chartæ insignem consumeremus quantitatem, sufficeret pauca nobis oblata amico lectori communicasse.

Gravidæ, ex familia magnâ, ad fores stanti occurrebat mendica, brachium truncatum, quo eleemosynam extorqueret, ostendens, illa subito consternata filiam mox peperit, cujus brachii ossa, ad tactum omninò mobilia, vi imaginationis, de statu sano deturbata, maximè ea quæ

quæ manus digitorumque , adeò ut non nisi, truncatum brachium exhiberent.

Similis conditionis exempla duo proponit *Helmontius Aurora Medicinæ art. II.* quæ loco citato legi possunt, ubi insuper quæ sit imaginationis vis declaratur.

Anno 1643. videre mihi contigit *monstrum*, per aliquot dies vitale, cujus cerebrum extra cranium protrusum, nasus divisus, digiti dextræ manus comminuti, sinistræ separati. Mater ultimis mensibus gravida virum ex casu gravi demortuum, cujus cerebrum cranio fracto, extrorsum erat dimotum adspexerat. Ab eo tempore observabatur continuò imaginationi & situs & conditio læsæ partis. Est hæc monstri delineatio.




Anno

Anno 1634. 15 Decembris *monstrum* hoc in urbe nostrâ natum, cujus futuræ à se invicem videbantur separatæ, sursumque elevatæ, sic ut galeæ formam exhiberet.



Anno 1653. 18 Augusti sex mensium filium peperit *Klaartje Tennis* hora quarta aut quinta ante partum *monstrum* seq. excluserat, formam habens limacis, coloris variegati instar anguillæ mobile, adeoque vivens.



Anno

Anno 1650. 19 Novembris *Anna Dircks*,
 uxor *Arnoldi Rieffelaer*, *monstrum* peperit sexus
 feminei hujus formæ.



Anno 1656. 9 Novembris, justo pariendi
 tempore, mulier quædam, quod *Æthiopem*
 fortè occurrentem adspexisset, *filium* exclusit
 ope obstetricis publicæ, cujus facies, & brachium
 dextrum cum manu coloris erant nigricantis;
 venter aquâ distentus adeò ut ejus claræ, fla-
 vescentisque libras duas dissectus exhiberet, in-
 clusa ea membranæ viscidæ; viscera omnia be-
 nè



nè se habebant, excepto Liene qui exiguus valdè, firmus, obscuri coloris, Renes corrupti. Vesica ovalis, aquâ gelatinosâ repleta. In Thora-ce Cor solidum, benè constitutum, auriculæ ejus duræ, cœruleæ, ventriculus dexter sinistro multo amplior.

Anno 1655. ultimis Januarii, præsentibus *Viris Clarissimis, Dn. Joanne Hartogvelt, & Wilhelmo Pisone* puerum vidimus octo vel novem septimanarum, pedibus, brachiisque privatum, uti figura sequens declarat.

Mater



Mater 38 annorum liberos plurimos sanissimos antea pepererat, monstri verò hujus causa, quod filium 13 annorum in prelio navali anglico brachiis pedibusque orbatum, certò sibi persuasisset, vixit ad menses quinque.

Non

Non solum monstra occurrunt membris his illisvè destituta, imaginationi suum esse quæ debent; sed & ejusdem virtute non rarò generari foetus hujus illiusvè coloris, experientia quotidiana docet. Animalia bruta multoties alterius longè coloris excludunt foetus, cujus ipsa sunt: Equorum Magistri ubi equos coloris varii, ex nigro albicantis, exoptant, caballum ad aliquot dies in stabulo detinent, cujus parietes calce incrustati variis locis denigrati, nullam hinc admittunt lucem, nisi quam candelâ suspensa præbet. Hinc ex obscuro ejusmodi loco equum, quem imprægnare equam desiderat, in lucidum producit. Hic equus clausis oculis, dum concreditur, non nisi variegata obversari sibi persuadens foetum variegatum generari efficit. Simili fetè modo processit Patriarcha *Jacobus*, dum pecora transire fecit decorticata ligna; quæ de re *Gen. cap. 30. vers. 37. & 38.* agitur.

Anno 1655. *Filiola* publicis nundinis se spectandam exhibuit, quæ toto corpore, mento imprimis, hirci instar pilosa; referebat is qui eam circumducebat, matrem ejus gravidam impetus varios sustinuisse ab hirco quodam illatos, quocunque modo remove hostem hunc laborabat, nihil efficere valuerat.

Præter imaginationem, in gravidis duorum triumvè mensium appetitus quandoque adest depravatus, undè variis corporis partibus maculæ sæpius notantur, tubercula, deformitatesvè, quoties desiderio ejus modi haud satisfacit.

Z

CAP.

C A P. II.

De Fungo occipitis ossi adnato.

Sibilla 24 annorum jam ab aliquo tempore fungosam in nucha, ad ossis occipitis partem decliviorē, gestaverat, non semel Chirurghi manu ablata, ast quoties auferretur, incrementum novum sumpsit, adeò ut etiam panis triticeï qui duplici stufiero venditur magnitudinem exhiberet, summo, eoque tolerabili, fœtore molesta.

Collega noster *Daniel Florianus* fasciâ aptâ incremento ulteriori, materiam præscindere studens, nihil quod efficeret, magis magisque indies tumore aucto, similiter ac fœtore, nosocomium nostrum accessit, ubi, consultatione debitâ habitâ, exstirpatio omnimoda instituta, eâ peractâ, die quarto observare nobis licuit, ex nutrimento pravo ab osse occipitali defluente fungum dictum originem sumpsisse.

Os adeoque razione consumere libuit usque dum integra ejus pars se exhibuit, sic malum ablatum, ejusque radicem exstirpatam credebamus, at quid sit, in ieterum incidit ægra, sive doloris gravitate, sive humoris evacuandi exclusione impeditâ. Exitialis hic fuit, quod cum virium prostratione summâ conjunctus.

Fungi erat figura quæ pag. seq.

Vix excrescentiam fungosam notare licet quæ non ossium fracturæ vel cariei debeatur, undè hu-



humor corrodens propullulat, similiter ac fungi ex arborum corticibus ob humorum corruptorum copiam nascuntur.

Fungorum certa datur species circa cerebri meninges, cujus generationi occasionem præbet humorum ex læsione earundem affluxus, accedente aëris, vel ossis ipsius frigidityte condensante, hanc ferro tollere necessarium vel medicamentis. Inter hæc non video quid præferri queat vitriolo cypreo in spiritu vini soluto, calidè, linteorum ope, applicato. Cui dein superimponitur Empl. de Betonica spir. vini solutum, addito gummi Elemni & Ol. rosaceo.

Z 2

Fa-

Faciunt huc quæ Bartholinus proponit *hist.* 57. ubi ex Langio *Epist.* 6. *Alex. Aphrodisæo*, Cornario ad *Dioscorid.* Schenk. *obs.* 5. l. 1. de Fungorum origine agit. Fractio inquit vel confusio cranio, fungi nonnunquam seu tumores laxi, mollesque adnascuntur. Ingrassias (de tum. p. n. tr. 1. c. 1.) fieri scribit, non secus ac fungus in lucernis hyemali tempore in elychnii vertice: Discoperta enim revelataque cerebri membrana, quadam prius substantia gossipino lanuginis imaginem representat. Deinde vero per halitum discussi vapores, fumique ob aëris frigiditatem in eâ substantiâ conglobati, paulatim ab interiori calore deurrunt, siccanturque, donec fungo quoque similis substantia appareat, alterata esse ab aëre membranam significans. Aliâ similitudine generationem fungorum illustrat Joannes Langius (*lib. Epist. Med.* 6.) quemadmodum in stipitibus arborum humores semiputridi per corticem extuberantes, in fungos coalescunt: Sic vulnerato cranio, humores cerebri affluere, qui (teste Alexandro Aphrodisæo) ossis frigore condensati, in speciem fungi concresecunt. Sunt fungi qui sine noxâ vitæ & emergunt, & decurtantur. Cornarius ad lib. 1. *Diosc.* civis cujusdam meminit, cui ex fissâ calvariâ sex fungi in capite nuncum regiarum magnitudine enati, gestatique per annos 40, è quibus demum tres sua sponte deciderunt. Schenckius quoque lib. 1. *obs.* 5. refert se fungum mediocris castaneæ magnitudine ex capitis contusione ad pubertatem usque circumtulisse, qui deinde facile scalpendo

pendo avulsus cute capitis post febre[m] suâ sponte
disruptâ.

C A P. III.

De Fissurâ ossis frontis.

ANno 1660. 5 Septembr. in viro 84 anno-
rum, examinare placuit *Fissurâ* ossis fron-
tis per oculorum orbitam progressum. Anato-
me hac occupato ubi ad duræ meningis super-
ficiem internam deventum, officulum occur-
rit hujus  magnitudinis, meningi va-
lidissimè conatum, imò locus ipse
ubi eidem jungebatur cartilagineus totus. In
glandula pineali officula duo aut calculos repe-
riebamus caput aciculæ minoris referentes.


C A P. IV.

De Herniâ flatulentâ scroti, s. pneumatocèle
ex vulnere Thoracis.

Vulnus thoracis non penetrans, Fabr. ab Aqua-
pendente inquit, curatur ut vulnus simplex.
In penetrante autem, præmissa corporis totius pro-
curatione potissimum in id incumbendum, ut eva-
cuetur colluvies, & humiditas, quæ in thoracem
è labiis vulneris descendit, ne putrescens mortem
inferat. Evacuatur autem per tres vias, per vul-
neris orificium, per os, scil. tussiendo, & per uri-
na viam.

Georgius Stouk, discipulus Notarii cujusdam à

con-



condiscipulo vulneratur cultello exiguo pectoris latere dextro. Propter exilitatem foraminis & aëri & sanguini transitus omnis denegabatur.

Vocatus febrem adesse reperiēbam gravem, cum asthmate, pectorisque duritie. Ministrorum nostrorum aliquis per vulnus suctione notabilem sanguinis quantitatem extraxit, quo facto ad modum *ab Aquapendente* præscriptum processimus.

Die tertio quartovè scroti pars dextra eam in molem intumuerat, ut caput infantis minoris magnitudine referret. Flatulentus hic tumor.

mor, cujus causam cognoscere ut arduum, ita curationem instituere. Haud improbabile nobis videbatur flatus hîc collectos ex cavitate pectoris descendere, adeoque diaphragma etiam perforatum esse; in ventre autem hærentes, ubi varios tumores in externis notabiles producere videbantur, per processus peritonæi ad latus variorum spermaticorum testes accedere.

Curatio difficillima, atrophia aderat, indies magis magisque notabilis, expectoratio materiæ foetidæ continua, cum tussi gravi, Febris continua cum sudore frigido, vomitus molestus, adsumptorum maximè, vigiliæ diurnæ nocturnæque valdè vexabant.

Tertia septimanâ tussi ejecit materiam quandam crassam, longam, rotundam, porosam, impuram, hanc particulam carnosam diaphragmatis habebamus, quod hîc vulneratum conjiciebamus. Eâ excretâ febris, sudor, respirandi difficultas, debilitas plurimum remiserunt, undè consultum visum naturæ operanti succurrere; in locum adeoque aposematis ex Rad. Chinæ parati, quo hætenus usus, vulnerarium hoc substituere placuit.

℞. *Herb. Tussilag. Mj.*

Capill. Vener. Hyssopi, Sanic. Verben.

an. Mj. Vineæ perv. M℥.

Rad. Petroselin. ℥ ij.

Flor. Beton. Liquirit.

Oculor. cancri an. ℥ ℥.

Coq. in aq. hord. par. ij. Muls. parte.

Z 4

Ute-

Utebatur hoc quotidie bis tervè. Syrupum etiam confici vulnerarium curavimus ex brassicæ rubræ & consolidæ succo.

Et horum usu id effecimus, quod vires corporis indies increverint, purulentæque materiæ per fistulosum pectoris foramen, evacuatio, successerit; Hinc plumaceolum planum *Oleo cera* madefactum vulneri imposuimus, plumaceolo lintheum quadratum, quadruplicatum, lintheo verò ferrum ignitum, & hac ratione olei dicti virtus interioribus communicata. Ter quater vè hac methodo ubi in curatione nostrâ processimus, vulneris foramen claudi permisimus, & sanitati restitutum ægrum observavimus.

De aëris ex thorace per diaphragma apertum in scrotum motu in prægressis egimus, haud è re erit exemplo aliquo notabili dicta illustrare.

Petrus Jacobi, Diemensis, rusticus, ebrius cultro interfecit Cognatum, vulneratur interim à cognato. Vulnus erat abdominis inter costam spuriam secundam & tertiam, per quod eo impetu aër extrorsum proruebat, ut vix detineri potuerit. Undè hic aër controversiam inter medicos Chirurgo sive movebat; erant enim qui non nisi in ventris imi cavum penetrare vulnus credebant, at horum opinioni accedere haud poteram, quod & ratio suaderet, & præcedens observatio docuisset, non nisi Diaphragmate læso aëri per vulnus viam concedi; undè oblique hoc vulnus sursum per diaphragma in thoracis cavitatem penetrare credibile mihi

mihi videbatur. Post diem tertium quartumvè aëris per vulnus dictum egressus haud amplius notabatur. Hic nova quærendi occasio, quid causæ subesset quod flatus haud diutius se exhiberet? ad hoc respondere nobis placuit, probabile omninò nobis haberi, vulnus intra costas & hepatis partem exteriorem penetrare in thoracis cavum, hoc autem ab hepate incumbente hoc tempore claudi.


In *aperto cadavere* (insidenti enim sellæ carnicis manu caput ablatum) suspicioni nostræ correspondere omnia, visum. Primò enim *hepatis* partem convexam sursum versus diaphragma elevatam notavimus, undè vulneris in eo obturatio. Secundò non solum vulnus diaphragma penetrasse, sed & pulmonis partem inferiorem fuisse ablatam, quam sero in thorace collecto innatantem vidimus.

In gratiam curiosorum hic loci addere placet, in *Corâs* ventriculo dextro sanguinis ne guttam à nobis fuisse repertam, in sinistro verò *pumofum* omninò sanguinem; quod sententiam scriptorum illorum confirmare videtur, qui volunt, in iis, qui violenta morte intereunt, sanguinem spumofum in venis contineri.

C A P. V.

De Enterocèle gravi.

ANno 1652. occurrit nobis *Vir* iatis annosus, qui *Herniâ scroti* laborabat enormi,
Z s
erectus



erectus quoties incederet, tumor se extendebat ultra genua, evadebatque crassitici fatis notabilis; conferatur figura addita.

Tumor hic quoties in scroto appareret, venter ad eò detumescebat, ut etiam manu planâ premendo vertebrae lumborum attingere liceret. Hinc ubi tumorem hunc tollere animus, elevatione leni omnia intestina in scroto prolapsa per peritonæi patentem valdè aperturam facillimo negotio ventrem repetebant, nec ullâ in hac restitutione molestia afficiebatur, nisi quod, ubi intestina reposita diaphragma attingebant, animi deliquium non leve incurreret.

Admirationem omnem superabat, hilaris ad eò ipsum animo fuisse, atque ad opera navalia promptum, ut etiam malas conscendere, ea celeritate dexteritateque valuerit, qua nullus socio-
rum.

De quo præcipuè conquereretur hoc unum erat, quod urina ad latus scroti distenti stillaret, undè excoriatio gravis & dolor insignis, membrum etenim virile scroto ita arctè unitum erat, uti litt. A. exhibet, ut impossibile esset urinam ex debito emingere. De curatione hujus affectus videri possunt quæ in prægressis observatione duplici habentur.

CAP.

C A P. VI.

De Hydrope gravi.

Christianus Friderici Holstius 2 Octobris 1659. apostemate laborabat sinistro abdominis latere, trium digitorum transversorum distantia ab osse ilium, dolorifico valdè, ad externum attactum materia purulenta hinc extra peritonæum collecta videbatur. Cauterium primò applicavimus potentiale, hinc cultello acutiore apertionem instituimus, & effluxit materiæ benè coctæ haud foetentis quantitas $\frac{3}{4}$ ij. aut iij. sequenti die materia effluens & parciore fuit, & sanguinolenta magis; placuit itaque quo materiæ dictæ commodior exitus concederetur, cultello, linteo maximâ parte armato, cujus descriptio habetur apud *Schuldetum armamentis. Chirurg. Tab. 2. fig. 7.* incisione secundum longitudinem tumoris factâ tumorem magis aperire.

Die tertio, quarto, & quinto materia se obtulit impura, foetidaque; sexto stylo nostro explorare placuit, quousque quaqua versum aposthema hoc se extenderet. At quamprimum eum inferere aggressi sumus, inscii paracenthesin instituimus, illicò enim aqua effluxit clara, alba, nullius foetoris, ad quantitatem mediæ pintæ, quem subitaneum effluxum ventris detumescencia insperata sequebatur.

Die sequenti ad foramen factum membrana se con-

se conspiciendam dabat crassa, complicata, quam intestinum esse conjiciebamus. At cum vasa in eâ nulla occurrerent, forcipe eam apprehendere ausus fui, imò lentâ manu extrahere; instar cornu politi pellucida erat vasis nullis prædita.

Eâ extractâ aquæ iterum limpidæ aliqua quantitas effluxit, hinc nil nisi materia fœtida. Quod educta membrana sinum hîc aliquem (uti videbatur) reliquisset, consultum visum fuit injectione hac eum mundificare.

℞. *Fol. Scord. Ruthæ*

Absinth. Rosar. an. M ℥.

Hord. ʒ j ℥.

Flor. Hyper.

Centaur. an. ʒ ij.

Coq. in vino rubro, in Colat. ℔ j. dissolv.

Mell. apii. ʒ ij.

Aloës, Myrrh. an. ʒ j ℥.

F. Injectio.

Utilitatis aliquid adferre videbatur, quod materia magis concocta se exhiberet.

Interim etiam medicamenta ea intus sumenda præscribebantur, quæ & ars & morbus exigent, inter quæ præcipuum *Decoctum aperiens* in Nosocomio nostro usuale, cujus hæc descriptio:

℞. *Rad. v. aperient. an. ʒ j.*

Herb. Eupatorii.

Herb.


*Herb. Chamædrios.**Thymi.**Betonica an. M. j.**Adianthi M. j.**Cicer. rubr. ℥ j.**Coq. ad tē j. j. Colatura addo**Oxymell. simpl.**Syrup. v. radic. an. ℥ j.**F. Apofema.*

Ad sitis, febrisque, quæ tamen haud multum molestabant, imminutionem usurpabat *Decoctum* hordei commune, cum Syr. de Althea.

Die 15. membranæ prædictæ major longè portio se obtulit, sacci formam habens, cujus ablationem sequebatur materiæ putridæ, foetidæque ea quantitas, quam etiam satis capaci receptaculo excipere haud licebat, & quidem summo cum impetu, tandem, sanguinis, particularum duriorum, materiæ terrestris, evacuatio, & sic viribus fractis interiit.

4 Novembr. dissectioni nostræ subiectum *cadaver*, in quo, facta à mucronatâ pectoris cartilagine ad ossa pubis apertione, materia primò occurrebat glutinosa, flava, foetida, omento, hinc etiam intestinis subiectis, incumbens; hujus ope adeò hæc incrustata, conglutinataque, ut etiam discernere eas vix concederetur.

Lien hic insignis erat magnitudinis, in lobos duos divisus, ad inguina devolutus, in eo sinus nota-



A Hepar.

B Ejus pars concava.

C Ventriculus.

D D Intestinum colon.

E E Lienis corpus magnum.

F Abscessus aquosus clausus.

G Vesica.

H H H Peritonæum.

I I I I Intestina.

notatus rotundus, qui aquam claram, membranamque exhibuerat; tabulæ enim impositus abscessum rotundum, tunicæ propriæ inclusum, exhibebat, in quo dissecto non solum aqua reperiiebatur clara, alba, sed & membrana crassa, pellucida, iis quæ jam ante extractæ in totum similis.

Atque ex his colligere licet, naturam ad apertum

tum locum materiam præter naturam in liene contentam deduxisse. Considerandum hic insuper, locum lienis non semper esse ad ventris postica, sed & anteriora sæpius, imò inferiora, quod in infantibus variis ventris tensione laborantibus notamus.

C A P. VII.

De Anatome abortivi foetus Uracho.

DE usu Urachi disputatio movetur inter Anatomicos. Hier. Fabr. ab Aquapend. tract. de format. foetus; Aquam eam, quæ in utero materno reperitur, graviditatis tempore, cui etiam innatat foetus, partim ex sudore foetus originem ducere docet, partim ex uracho per vesicam & pudendum excerni.

Placet aliis, urachum ligamenti usum obtinere, cujus opera vesica urinaria suspensa detinetur, ne urinâ repleta fundo suo ad orificium devolvatur, sicque suppressionis urinæ causa evadat.

Thomas Bartholinus Anatom. lib. 1. cap. 37.
Urachum in homine pervium esse negat. In adultis verum id dicimus, at in nuper natis, aut abortivis foetibus, non semper. Constat satis umbilicalia vasa in ligamenta mutari; Horum illud, quod vena constituit, hepatis fissuram intrat, sicque, ne hepar, in iis qui manibus incedere coguntur, pedibus sursum elevatis, diaphragma premat, impedit: huc facit exemplum
pueri



- A** Hepatis pars convexa.
B Urachus, per quem à parte superiore deorsum in vesicam ipsam stylum deduximus.
CC Arteriae umbilicales duae, ad iliacos ramos procedentes vesicae connexae.
D Vesica urinaria.
E Ligamentum hepatis suspensorium.
FFF Abdominis muscoli, cutis, & peritonaeum, dissecta & reflexa.
GGG Funiculus umbilicalis:
HHH Chorion.

pueri brachiis incedere soliti, à Fallopio dissecti, in quo hepar ligamento umbilicali destitutum inventum. Arteriae quod efficiunt ligamentum utroque latere vesicam in situ naturali de-

A a

tinet,

tinet, ne dextrorsum finistrorsumvè præternaturam moveatur. *Urachus* ex fundi medio fursum procedens ne deorsum ad ossa pubis procidat vesica impedit. Dicti hujus veritatem comprobatur exemplum viri cujusdam fortis, cujus vesica anatome docente procidit ad pudenda, unde convulsionem, febris, mors ipsa. At inquires quod si ligamenti usum *urachus* obtineat, cur vas urinarium vocatur? *Ambrosius* *Paræus* libro de generatione vas hoc ultimo graviditatis mense claudi, sicque urinam in pueris per penem in puellis per vaginam excerni, censet. Videtur Vir Clarissimus sententiæ illius esse: urinam in foetu non per pudendum in uterum excerni, sed transcolari extra *urachum* antequam vesicam urinariam intrat. At, nostro judicio, erroris hæc omnia plena. Et hæc de *uracho*.

C A P. VIII.

De Abscessu miræ structura.

N Ulla corporis pars *Aristotele* authore ab ulceribus, tumoribusque immunis est, externa sive fuerit, sive interna, illas quæ afficiunt ferè licet primariæ considerationis, frequentiorisque. Imò nulla est pars, eodem referente, quæ non præternaturalium variorum, lapidum, ossium, similiumque quandoque sedes existat.

Abscessus quos auferre imò eradicare licet, non solum à partibus nobilioribus debent esse
remo-

remotiores, sed & minus maligni, aut ossi connexi. Qui collo gaudent graciliore, etiam si vasa adsint satis insignia, minori cum periculo auferri possunt iis qui latâ basi profundavè musculosis partibus implantantur.

Instrumentorum quibus eradicari poterunt varietas licet magna, major tamen materiæ undè produciuntur. *Marcus Aurelius Severinus* diversitatem eam exhibet, ut etiam doctissimum confundat. Placet singularis considerationis exemplum proponere.

Anna Gerhardi, ancilla hilaris animo, agilis corpore, ex consilio Amplissimi *Dni Consulis Nicolai Tulpii* ædes nostras accedit; Humero sinistro inhærebat abscessus insignis, rotundus, quam steatoma vocaverant alii. Ad ejus ablationem admissi, primò omnium *cauterium potentiale* ex calce viva cum sinigmati paratum elatiori ejus parti (à ferro enim abhorrebat) applicavimus, die sequenti loco cauterisato *sectionem* levem instituiamus, primò rectam, hinc transversam, & occurrit nobis corpus aliquod candidum, hoc dissecto simile aliud se obtulit, quod, æque ac alia, dissecare necessarium duximus, & sic totum abscessum auferendum esse constitit, quod etiam brevi, vasis sanguineis laceratis, peractum, ad hæmorrhagiam lintea combusta, Bovist, similiaque, applicabamus.

Abscessus extirpatus, tabulæ impositus, curiosis nobis aliisque miram exhibuit structuram; ex viginti enim & pluribus, albicantibus



corpusculis rotundis, sibi invicem impositis, compositum eum invenimus, quævis harum lamellarum materiam continebat albam, glutinolosam.

Sanguinis fluxu sedato, ad mali omnimodam eradicationem *Mercurium præcipitatum rubrum* applicavimus, hinc *mundificantia* usurpare necessarium, *consolidantia* denique & *cicatrisantia*.

Observationem hanc haud proponimus, quasi verò majoris magnitudinis abscessum auferri nunquam nobis contigerit, sed ut mira hæc tumoris hujus structura dicto *Aristotelico* super allegato veritatis testimonium sit singulare.

C A F

CAP. IX.

De Tumore femoris insigni.

A Nna Laurentii Anno 1655. peste laboraverat, ex qua *Anthracem* contraxerat femur sub osse ischio occupantem. Hujus curatione, quæ tamen tarda valdè, peractâ, tumo-



re correpta ab inguine ultra genu se extendente, magis hic magisque indies increfcebat, adeò ut ulnæ cum dimidia longitudini accederet mensura crassitie ei. Hinc in partes duas divisus.

In consilium vocati *Clar. Viri Dn. Franciscus Sylvius, Franciscus van der Schaagen, Henricus Lons, Medici, & Dn Henricus Roonhuysen, Chirurgus*. Variis pro & contra propositis, quæ allegare superfedebimus, verosimile nobis visum, humorem aliquem pinguedinem loco dicto occupasse, imò vi sua acriore ad facilem influxum insequentis disposuisse. Hanc sententiam nostram confirmare studui exemplo eorum quorum pedes antrace laboraverant, his enim (quod in nobis ipsis experti) tumores omnes postea supervenientes solito majores. Causam ejus rei in eo consistere judicabamus, quod natura in eas partes venenum suum, venenique materiam ableget, quæ hîc ob pinguedinem suppositam magis magisque corrumpitur, undè pars ipsa & debilior, & porosa magis.

Ad curationem, præmisso usu Medicamentorum purgantium, menses moventium, imprimis apozematis ex oculis cancri, fascia adhibita, ejusque usu legitimo, ab inferioribus nempe sursum instituta ligaturâ, integrè Dei gratia restituta ægrotans.

CAP.

C A P. X.

De Tumore simili.

Ano 1654. 9 Julii præsentibus *Viris Celeberrimis* Dn. *Nicolao Tulpio*, D. *Arnoldo Tholinx* videre nobis contigit virginem 21 an-



norum, *Maria Alewijns*, cui jam à biennio tumor subortus horrendus circa femur dextrum, durus ferè ubique, locis nonnullis digitis cedens; anicula curam ejus gerebat; rumpebatur tandem cum sanguinis fluxu magno, & obiit mense Octobri; delineatio dicta illustrabit.

C A P. XI.

De variolarum Symptomatibus.

QUod si adeò nobis constaret natura morbi atque symptomatum, ac quidem, quænam materia medica hîc necessaria, constat, de morbi nullius symptomatîsvè curatione dubitatio ulla institueretur.

Inter morbos omnes hominem affligente haud minimæ considerationis, *variola puerorum*, earumque symptomata. Omnibus sine dubio mortalibus morbus est communis, varios licet ab iis immunes obiisse referatur.

Medici antiquiores *materiam* earum sanguinem constituerunt maternum, menstrua in non gravidis constituentem, in gravidis verò fœtum nutrientem, & hinc, cum mortalium omnium nutrimentum sanguis maternus fuerit, necessarium esse crediderunt, etiam omnes, adultos, junioresque, gravius leviûsvè variolis tentari.

Theologi communem omnibus variolas constituunt morbum, quod commune omnibus peccatum originale.

Verum

Verum est, morbis endemiis neutiquam eas annumerari posse, sed verò epidemiis, ubique terrarum notas, generi humano communes. In quantum se extendit morbus, in tantum etiam se extendunt symptomata. Videri possunt quæ de iis proposuerunt *Paræus lib. 20. cap. 1, 2. Pigræus lib. 8. cap. 10. Hildanus part. 6. cap. 82. & part. 3. obs. 99.*

Quæstio hîc movetur, *quæ causa subsit quod in uno homine citius, in alio tardius variolæ erumpant, in uno dum est in statu infantie, in alio dum in senio?* Respondeo fermentum variolarum eruptioni dicatum tunc in actum deduci, cum ab aëre ejus motum concitare valente commovetur, hinc humores fermentescere, atque adeò à naturâ expelli.

Casum unum alterumvè nobis in praxi oblatum hîc adferemus.

Variolarum fermentum in *puellâ* 8 annorum graviter adeò occupaverat interiora nasi, amygdalas faucium, palatum oris, colli exteriora, ipsasque scapulas, ut particulæ quædam fœtidæ, corruptæ, segregarentur; nec tamen materiæ peccantis excretio dictis locis peracta sufficiens fuit propter insignem abundantiam. Prolapsa quin eadem ad articulos, cubitum imprimis utrumque, quorum unus, sine apertione, mobilis perstitit, alius suppuratus, hinc apertus, rigidus evasit.

Purulenta eaque acris valdè materia, quæ debilem hunc articulum occupabat, tantæ erat

& copiae & virtutis, cum commixto humore, doloris vi attracto, ut articuli ligamenta, cum tendinibus, membranisque, non solum plus justo madefecerit, sed & dissolverit, adeo ut aperture partis suppuratae facta, pureque notabili quantitate educto, articulus in totum solutus fuerit repertus. Luxationis hujusmodi internae mentionem facit *Pigraus lib. 6. cap. 4.* vocaturque ipsi *ancylosis*.

Quomodo cum brachio opposito processerimus ut constet, hæc habe: Præscripto à Nobiliss. *Dn. Nicolao Tulpio* medicamento, humorem acrem venenatum evacuare valente, postquam usa fuerat, cubiti articulo Topica ea admovimus, quæ venenum expellere, partesque roborare, poterant, primò itaque omnium *Fotus* hic usurpatus, calidius justo applicatus.

✱. *Rad. Ireos nostr.* $\mathfrak{z}$ j.

Cortic. Quercin. $\mathfrak{z}$ ij.

Fol. Scord. Menth.

Rosmarin. Lauri an. M. j. $\mathfrak{s}$.

Flor. Chamomill. Rosar. an. M. j.

Sem. Anethin, Myrtill.

Anis. Cumin. an. $\mathfrak{z}$ $\mathfrak{s}$.

Mastich. Myrrh. an. $\mathfrak{z}$ ij.

Theriac. rec. $\mathfrak{z}$ $\mathfrak{s}$.

Coq. in vino rubr. q. s.

F. Fotus.

Præmissâ illinitione calidâ Oleo Mastichino, &
Ane-

Anethino, ter singulis diebus fomentum hoc iterabatur.

Ufu horum medicamentorum in brachio uno successum observavimus optatum, in altero suppurationem; ad hanc accelerandam *Cataplasma* hoc usurpavimus.

℞. *Rad. Althææ Lilior.* an. $\bar{z}$ ij.

Herb. Malv. Bismalv.

Beton. Parietar. an. M. j. ℥.

Flor. Chamomill. Melilot. an. M. ℥.

Semin. Lini M. ℥.

Coq. in cerevis. tenuis q. s.

Contusis adde

Farin. Sem. Lini

Fœnugr. Tritic. an. $\bar{z}$ ij ℥.

Ol. Lill. alb. $\bar{z}$ j.

Axung. porci q. s.

Butyri recent. $\bar{z}$ j.

Vitell. ovi n. y.

F. Cataplasma.

Aliquot diebus elapsis, rupto abscessu, evacuatoque pure, immobilitas membri secuta; cujus rei hæc mihi videbatur ratio: venenata corrosivaque materia ubi articulum occupavit, ossis integumenta cartilaginea corrodit, hinc ligamenta sensibilia, tendines, nervosque; partes hæc summoperè dolentes humorem alienum copiosè alliciunt, qui necessario in pus mutatus, ni medicamentorum commodorum usu consumatur.

matur. Integumentis dictis consumptis articulorum glutinosus mucus vel consumitur, vel lentorem majorem assumit, undè ossibus fractis callus accedit. Calli generationem quod si impedire placeat motu membri, humorum ea accedit copia, ut exulcerationum novus oriatur proventus. Hæc ubi animadvertimus, consultum omnino, cubitum flexum curare, quo ori inferi vire manus queat, cum alias brachii rigiditas incommodi plurimum adferat.

Exulcerationes variolas insequentes non solum malignas esse, profundeque se dimittere, sed & ossa ferè semper afficere, exemplo seq. constat.

Puerulus 3 annorum filius *Joannis Petri*, ex variolis utriusque cubiti suppuratione gravi decumbebat, ossium extremitates circa articulum visui se offerebant & nigræ & foetidissimæ. Cubitus cum manu tota insigniter tumeant, adeò ut gangrænam metueret Chirurgus, extirpationemque. Vocatus ego primò omnium particulam ossis prominentem abstuli, mox Cataplasma ad gangrænam ex micâ panis albi cum pulvere fol. Absinthii & Ruthæ in vino albo coctis, paratum, parti affectæ applicavi, & levaminis plurimum ægrotanti, solatii verò parentibus atque consanguineis, attuli. Viâ hac in curatione processu, singulis diebus institutâ extremitatum ossium cauterisatione, usque dum separatio ossium corruptorum, puris imminutio, & utriusque cubiti sanitas introducta.

Va-

Variolarum in statu *filiola Jacobi Elie* articulo-
rum cubiti laborabat tumore insigni, cum
duritie, color atque stridore; Hic nihil adhi-
buimus præter fomentum supra præscriptum,
nisi quod ultimis temporibus spiritus vini ali-
quid addiderim. Et horum mediorum usus
etiam variis aliis proficius fuit. Interim hic mo-
nere cogor, ex diuturniore fortis adhibitione,
humoribus consumptis, partis aliquam immo-
bilitatem relictam fuisse, hanc verò sublatam
illinitione *Ung. Althææ cum oleo tumbis. et spir.*
vini.


C A P. XII.

De processu Oculi ciliari.

AD quæstionem, *quæ in juvene nobili . . .*
catitatis sit causa? Respondeo Catarra-
ctam hic adesse, oculum interius occupantem,
imperfectam tamen, retrorsum ad humorem
cristallinum motam, circa angulum majorem
adhuc liberam, undè aliqualis adhuc visus.

Causa hujus mali *externa* casus fuit aut ictus,
undè humorum alienorum in humorem oculi
aqueum prolapsus, *aqueus* hic humor antè
in oculo situm obtinet, intra tunicam uveam
& humorem cristallinum, cujus locus in me-
dio processuum ciliarium; Humor alienus p. n.
loco dicto congregatus successu temporis indu-
rescit, membranæque naturam assumit. Spi-
ritus visorii quo magis hic sistuntur qui alias col-
lectos

lectos humores calore suo vel commoverent, vel omninò dissiparent, eò citius *catarracta* perfectionem debitam acquirit; Omne mobile quoties quiescit ex se ipso magis magisque induari vel in aquâ simplici quotidie verum esse experimur; hæc enim vitro detenta, quiet, lentam mox exhibet materiam, indies magis magisque incrassatam quæ etiam ejus quandoque visciditatis, tenacitatisque evadit, ut, ubi stylo quodam vitrum purgare animus est, firmiter adeò ei adhæreat, ut non nisi cum difficultate separari queat. Ad eundem modum ex judicio nostro *Catarractæ* generatio & fit, & acceleratur, ab spirituum animalium retentionem, un-



+++ *Crassities tunicæ cor-
næ.*

B *Pupilla.*

CC *Processus ciliaris.*

DD *Humor cristallinus me-*

*dio processus dicti in-
hærens.*

EEE *Locus humoris aquei.*

FF *vitrei.*

dè non consumuntur consumenda, & contra augentur, increassanturque præter naturam, in oculo detenta.

Curatio, quæ in *ablatione Cataractæ* consistit, quo spiritibus liber concedatur transitus, ipsisque adeò etiam speciebus visibilibus, Chirurgiâ perficitur, quatenus acus ad operationem hanc accommoda per tunicam oculi conjunctivam, atque corneam in cavum ejus, ubi Cataracta hæret, dimittitur, cujus ope eadem ad oculi inferiora detruditur, ubi à spiritibus successu temporis consumitur.

Tempora Cataractæ ablationi commoda ver sunt & autumnus. Mense April perfectionem absolutam adeptam esse Cataractam suspicor; quod si enim diutius detineatur, duritiem eam assumet, ut non rarò ob siccitatem summam deorsum acu moveri nequeat.

C A P. XIII.

De modo frustra carnis, casei, panis, aliaque corpora faucibus inhaerentia auferendi.

QUam difficilis eorum sit respiratio, quibus ex Catharro œsophagus angustatus, experientia quotidiana abundè docet. At difficilior longe iis obvenit, qui ex corpore aliquo duriore, pane, carne similibusque angustiam ejus incurrunt. Quandoquidem enim œsophagus asperæ arteriæ firmiter cohæreat, incumbatque, impossibile est, quoties frustum aliquod
ei in-

ei inhæret, aërem pulmones respirationi dictos accedere posse, aut contra pulmonibus contenta exire.

Quæ de nummis, aciculis, similibusque auctores referunt, non est quod à proposito nos divertant, frustra carnis, casei, panis, aliaque his similia, ex gula auferendi hic est modus.

Ad manus Chirurgo fit stylus ferreus flexilis, cujus extremitas una manubrio gaudeat debito, altera instructa sit spongiæ particulâ, stricte alligatâ, spongiam hanc oleo olivarum madidam, ad faucium posteriora atque inferiora, ubi œsophagi ingressus, dimittat, hinc sensim, ne respiratio magis lædatur, in œsophagum ipsum, in hoc ubi ad frustum aut corpus aliud ei inhærens instrumento dicto devenit, spongiam, ad postica premendo, studeat, supponere corpori contento, quo simul cum eâ sursum retractâ id extrahere liceat. Sapius hæc operatio non rarò iterari debet. Quod si corpus gulæ inhærens hac arte extrahi nequeat, & quidem magis si à ventriculo digerî queat, detrusione blandâ ei offeratur.

Ne hic errorem committat Chirurgus, stylum suum in asperam arteriam, non verò gulam dimittendo, quod Chirurgo cuidam contigisse novi, sciat lector gulam à parte posticâ vertebris dorsi atque cervicis incumbere, asperam verò arteriam ab antica incumbere gulæ.

Hildanus obs. 36. part. 1. instrumentum declinat circa extremitatem foraminibus plurimis prædi-


præditum, cujus ope spinas, ossicula, ejusque generis alia gulæ inhærentia extrahi posse scribit: *Est hæc ex descriptione authoris fistula argentea aut aenea incurvata, crassitie penne oloris, longitudine vero unius pedis cum dimidio aut citius; est & undique perforata, in sua extremitate vero habet spongiolam novam, avellane magnitudine, firmiter alligatam. Hac fistulâ in œsophagum immissa & sensim mediceque circumductâ, postea extracta, ossiculum aut quicquid simile fuerit, extrahitur. Si enim accidit, ut foramen aliquod fistule spinam aut ossiculum excipiat, tum simul cum fistulâ extrahitur: sin minus asperitas ossis spongiæ adhærebit; & suo loco amovebitur.*

Qualiter gula tractanda materiâ inhærente vel extractâ, vel in ventriculum detrusâ, notum satis Chirurgis. Vel hîc usurpari potest: *gargarismus* ex aqua hordei cum Syr. Violar. paratus, cujus etiam portio deglutiri potest, vel litus deglutiendus Oleo Amygdal. dulc. cum Syr. Viol.

Non est quod hoc loco prætereamus ea quæ in tali casu solius naturæ ope peracta observavimus.

Filius 5. aut 6 annorum, *Huberti Petri*, casu particulam bractæ ore receptam deglutit. Media nulla, quæcunque etiam adhiberentur, hîc profuere, tandem particula dicta ex deglutitione fortiore in ventriculum ipsum delata. Hic non nisi continuum usum decocti hordei cui commixtus Syrup. Viol. & Alth. com-

mendabam ; interim excrementorum alvino-
rum haud neglecta inspectio , nec tamen deglu-
titum corpus unquam in iis observatum ; nulla
puerulo ullo tempore gravis cardiaglia , nulla
iliaca passio. Si fides habenda relationi matris
hujus figuræ
nis corpus de-
Hoc in ven-
consumptum
contrariatur
ab acidis facilè dissolvi queat , qualia hic fre-
queater adsumpta.



& magnitudi-
glutitum fuit.
triculo fuisse
nihil est quod
cum braçea

C A P. XIV.

De vulnere sclopetario admirando.

CUivis viri boni est, ea quæ observavit, per-
egit, ab aliis accepit, simplici stylo exhi-
bere, nec ullo mendaciorum mantello obduce-
re, memor ubique dicti Salomonis.

Facit huc memorabilis casus, quem notare li-
cuit 1652. mense Januario in *Jeremia Hinder-*
son, globus sclopetarius in eo vulneraverat, ad
malæ sinistræ partem superiorem, locum auri-
culæ vicinum, foramine penetrante musculos
cervicis. Nullæ hic partes (quod mirandum)
interiores læsæ, nullæ ablatae, præter fragimen-
ta exigua ossis, nullum symptomata relictum, ni-
si quod in dextrum latus oris partes nonnihil
retractæ fuerint, undè vox minus accurata.

C A P.

CAP. XV.

De Ani procidentia.

QUot corporis humani in cute pori sunt, tot mortis januæ, docente *Marco Varone*, non nisi una vitæ nostræ porta. Ex mille infantibus vix unus est qui non miseriarum vallem intret naturali viâ, & quidem auxilio obstetricis.

Placet tamen observationem unam alteramvè proponere, quibus instrumenta varia alia, quorum ope nati fuerunt homines, exhibentur. Tractatu quo de obsidione Bergozomensi agitur, cap. 58. refertur, iæu ferri bombardâ ejeti laceratam fuisse gravidam aliquam extra urbem ambulantem, adèò ut viscera ini ventris cum gravida projecta fuerint in aquam vicinam, homines accurrentes quod moveri inter aquæ innatantia viderent foetum aliquem, cum susceptum in castra detulerunt, ubi educatus primò, hinc Antverpiam deportatus, ubi nomen accepit *Alberti Ambrosii*. Et hoc in casu obstetricis munere defuncta elementa, ignis & aqua.

Anno 1647. 20 Augusti à tauro quodam furibundo interfectus *Jacobus Egh Zaandamensis*; uxor gravida succurrere volens auxilia aliorum imploranti viro cornubus tauri excipitur, laceratis ventris integumentis omnibus, projiciturque in altum; hoc dum fit, foetus separato loco agri excipitur, qui etiam, tauro obstetricante natus, ad 23 Maji 1648. in vivis fuit; matre, patreque ex tempore demortuis.



Hiscæ sic præmissis observationem nostram aggrediemur: Præcedentes *gravida* cum interierint, cujus auxilio pepererint referre haud potuerunt, nec habuerunt de quo post partum conquererentur. At anno 1645. mense Novembr. à latronibus quibusdam in itinere occi-

sus

sus est *Hermannus Soffertbeeker*, *Consul Affches-lebensis*, triste hoc nuntium cum, licet per ambages, innotuisset uxori *Maria Magdalcna Nickels*, animi in deliquium incidit, mox ad se rediens cum cubiculum domus primarium accedere tentaret, stabulum transiens ubi pecora detinebantur, ab uno eorum qui solutus impetum gravem sustinuit, undè læsis genitalibus foetus enixa est mortuum, miserè cornu bovino laceratum, mox alterum impetum ventre excepit qui exclusioni foetus secundi, aut viventis ansam præbuit. Terræ incumbentem tertia vice cornu suo petiit bos, & podici solutionem intulit, undè ejus procidentia gravis, cancrofa, horrenda, cum excrefcentia uteri, quibus malis in hoc usque tempus, quo hæc mecum inspexit *Vir Clariss. Dn. Guiljelmus Piso*, & Chirurgus dexterrimus *Georg van Loon*, afflicta; quo etiam foetus secundus, sexus feminei, adhuc vitalis erat, octo jam annorum puella.

C A P. XVI.

De vitâ reparatâ.

QUis nobis sine molestiâ referre valet naturæ opera omnia quæ, Dei ministra, non solum extra corpus humanum, sed & in eo exercet. Quam sæpè non contingere notamus, eos, qui, judicio accuratiore præditi, effectuum ejus causas accuratissimè exposuisse se sibi persuadent, confundi, sicut simili in casu quo se ver-

tat ignoret, quin potius cum magno *Hippocrate* exclamare cogatur: *judicium est difficile.*

Abrahamus Cloot, Mathematicus, senex, gravem incidit in morbum, adeò ut instantis mortis accederent indicia, convulsiones scilicet, aphthæ, singultus, palpebrarum rigiditas, extremorum frigus, nasi imprimis, sudor totius corporis frigidus, imò respirationis gravis imminutio.

Extincti ut credebatur, corpus, vestimentis mutatis, stramini (ex more gentis) impositum. Tertia circiter horâ post obitum, uxor, amore viri charissimi ducta, lectum accessit, manum admovet faciei, calorem blandum percipit, levemque, cum motu aliquo maxillæ, sonum audit. Observans hæc, lintea calida, aliaque corpori admovet, imò Cardiacum, quod in promptu erat, exhibet, undè brevi spiritus resuscitati, ægerque ad se rediit.

Quod nasi mucro, alaque dextra gangrænâ laborarent me advocari curavit, & causam, & remedia exigens. Causam hic non nisi absentiam spirituum habebamus, qui subito adeò vias occlusas intrare haud valebant undè necessarium partem eam omninò emori. Quod ad curationem, partis sanæ ab eâ quæ corrupta separationem necessariam indicavimus, quam etiam paucorum dierum spatium peractam vidimus. Post octodecim tamen dies idem æger interiit.

Consideratione nostra hic dignum, spiritus
partes

partes relinquentes easdem iterum accedere posse, nihilominus tamen in totum quæ iis destituta nunquam eos recipere posse.

C A P. XVII.

De Cancroso oculi abscessu.

C*atharina Gerardi*, ancilla 18 annorum, alias, ut videbatur, satis sana, ad oculum finistrum anno ætatis 17. tuberculum percipie-



bat exiguum cum inflammatione levi, sine dolore, cujus curam jam aliquo tempore gesserant circumforanei, atque aniculæ, ast non sine incremento continuo, tandem opem nostram imploravit. Cognitis ex relatione propriâ mali origine, atque progressu, præsentibus *Viris Clarissimis* Dn. Joanne van Hartogvelt, Arnoldo Tholinx, Gerardo Blasio, Guiljelmo Pisone, Francisco Sylvio, Francisco vander Schagen, Paulo Barbette, nec non Chirurgis Expertissimis, Dn. Georgio van Loon, Henrico Roonhuysen, & Joanne Coenerding Abscessum hunc instrumento commodo extirpavimus.

F I N I S.



I N D E X

Rerum & Verborum.

A.		Capitis obstipi curatio. 136
	Abcessus miræ	Capitis vulnus grave. 87
	structuræ. 370	Catarractæ generatio, &
	femoris insignis. 373 375	curatio. 382
	Oculi canerosus. 401	Cauterii usus ad futuras
	Hepatis. 22 33	cranii in epilepsia. 48
	Ani fistulæ, quomodo curandæ. 277	Cerebrum pituitâ scatens. 38
	procidentia. 387	Cerebri vulnus. 90
	Arteriotomia ubi & quomodo instituenda. 163	Cerebri materia purulenta per quas vias ad hepar feratur. 30. 31, &c.
	Auditûs & loquelæ restitutio. 93	Cœcitatâ causa cerebri concussio. 58
B.		Cœci oculos in manu gerentes. 99
B	Rachii ossæ adjutorio ablato integer manfit motus. 328	Collisio cranii. 13
C.		Contrusio cranii. 16
C	Alculus ureteris. 194	exemplum ibid.
	190.	Contusio cranii. 14
	Renis. 195	exemplum ibid.
	Vesicæ urinaræ. 264	Contrassura cranii. 20
	Renis lumbos perforans. 183	exemplum ibid.
	Calculi glandulæ pinealis. 269	Cor exustum. 151
	Cameratio cranii. 12	Cordis absentia. 148
	exemplum ibid.	calculus. 148
	Canis rabiosi morsus. 289	vulnus & exulceratio. 147
	Cantharidum usus internus externusvè, bonus æque ac malus. 140	vulnera. 152, &c.
	Capillatio cranii. 15	systole & diastole quid. 156
	exemplum ibid.	Costarum caries. 172
		Cranii fracturæ, vide fractura.
		Cubitus rigidus, subito curatus.

I N D E X.

ratus. 247
Cubiti abscessus enormis. 196
Cutis mira dilatabilitas. 134

D.

Defectio cranii. 10
exemplum ib. 11
Digitus scorbuticus. 172
Dolor capitis vide Hermi-
crania.
Dyastole cordis quid. 156
Ductus cholydochi intus
susceptio. 196

E.

Empyema imi ventris. 116
Enterocoele. 205. 361
Enterocoele ex processu pe-
ritonæi laxitate. 215
Epilepsia gravis, cauterio
curata. 45
Epulis gravis curata. 120.
92
Excisio cranii. 4
exemplum ibid.
Expressio cranii. 7
exemplum. 8

F.

Faucibus inhærentia
auferendi modus. 383
Fissio cranii. 2
exemplum. 3
Fissurâ ossis frontis. 357
Fistulæ ani. 277
quomodo curandæ. 280
Fracturarum capitis spe-
cies. 1. Fissio. 2.
excisio. 4. expressio. 7.
defectio. 10. camera-
tio. 12. collisio. 13.

contrusio. 14. capilla-
tio. 15. contusio. 16.
contractura. 20
Fracturam cranii hepatis
abscessus quomodo fe-
quatur. 22
Fungus gingivæ. 92. 121
oris, cultro ablatum. 84
ossi capitis occipitali ad-
natus. 354
ad capitis postica. 54

G.

Ganglion quid, & qui-
bus curandum. 299
Gastrophagia quomodo in-
stituenda. 212
Gingivæ fungus. 92. 121
Globus, aliaque in intesti-
no cæco inventa. 236
Globus spinalem medul-
lam premens. 179, &c.
quam varia & mira pro-
duxerit symptomata. ib.
Globus per sex annos circa
linguam hærens, abla-
tus. 55
Gonorrhææ cura. 145

H.

Hæmorrhagia narium
39
ejus curatio varia. 40, &c
Hemicrania continua, cu-
rata. 56
Hernia intestinalis. 235
eam per Chirurgiam cu-
randi methodus. 208. 361
Hernia scroti flatulenta.
357. 225.
Hepar tuberosum. 191
Hepatis abscessus. 33
22

I N D E X.

an & quomodo sequatur
cranii fracturam. 22
Hydrops abdominis gravis.
364
Hydrops gravis intra peri-
tonæi duplicaturam. 230
Hypopion. 63
ejus curatio. ibid.

I.

Intestina putrida. 118
Intestini sphacelus. 198
cæci descriptio & usus
237
Intestino cæco contenta p.
n. globus, aliaque. 236
Intestinum colon contor-
tum. 235
Intestino recto inhærens
spina piscis. 157

L.

Lien ingens. 191
monstrosus, loco a-
lieno detentus, &c. 367
Linguae tumor gravis. 107
Loquelæ gravis curata. 55
Loquelæ & auditus restitu-
tio. 93
Luxatio ossis caudæ. 273

M.

Manus exarefacta, re-
stituta. 98
Manus, digitorumque de-
scriptio anatomica. 301
Maxillæ fracturam secuta
corruptio. 89
Monstrorum exempla va-
ria. 345, &c.
Morius canis rabiosi. 289
hominis rabiosi. 289. 330
quomodo curandus. ib.

Musculorum cervicis de-
scriptio. 136

N.

Nervus trochlearis no-
vus. 270
Nervorum opticom ob-
structio percussione fa-
nata. 131
Nodus & nodatio, an &
quomodo, differant. 294
Nodus digito. 323
labii exsectus. 80

O.

Oculi, & imprimis pro-
cessus ciliaris de-
scriptio. 381
abscessus cancrifus. 401
Oculis audiens. 103
Omentum putridum. 118.
141. 198
Ossium cognitio quam ne-
cessaria Chirurgo. 328
Ossium fracturæ nulla ac-
cedente coalitione. 338
Ossa pubis an in partu se-
parentur. 271
Ossis caudæ luxatio. 273
Calcis corruptio. 333
frontis fissura. 357
tibiæ corruptio. 341

P.

Paracenthesis abdomi-
nis quomodo insti-
tuenda. 220. 223
scroti. 225
Paralyseos instantisq; mor-
tis signa. 86
Palati hiatus gravis. 105
Pedastrocace. 327
Peritonæum corruptum.
117
Peri-

I N D E X.

Peritonæi hydrops.	191	Spina ventosa.	131
sphacelus.	ibid.	Stranguriæ cura.	324
Penis imperforatus.	115	Sudor sanguineus.	146
Pericardium sine aqua.	154	Systole cordis quid.	196
Pneumatocele.	357	T.	156
Podicis clausura in variis		T Abes imaginaria fu-	
observata.	114	bito curata.	91
Polypus narium.	69	Tendinis structura.	309
ejus causæ & curatio va-		sensus qualis.	ibid.
ria.	ibid	dissecti an detur reunio	
Polypus cartilagineus à par-		per Chirurgiam.	ibid.
te postica uvulæ ex fau-		Tendinum punctura in va-	
cibus ablati.	76	riis curata.	299
Polypus ligneus, ablati.	82	Testiculus muliebris defi-	
Pulmo pleuræ adnatus.	154	ciens.	135
Pus meningi incumbens.	33	Trepanisationis exemplum	1962
R.		Tumor circa collum gra-	
R En consumptus.	186	vis.	163
simplex.	169	sanguineus ad palatum.	267
Renis dextri suppuratio.	167	V.	
Renes monstrosi.	294	V Ariolarum sympto-	
corum pelvis ampla. ib.		mata.	376
S.		causæ.	ibid.
S Anguinis fluxus per na-		Vasa spermatica p. n. con-	
res.	39	stituta.	231
quibus mediis sistatur.	40, &c.	Veneficia falsa.	161
per oculos.	41	Venter imus pure repletus.	117
Sanguinis vermiculos re-		Ventre contenta materia	
ferentis per penem ex-		glutinosa viscera conne-	
cretio.	274	ciens & incrustans.	366
Sanguinis extravasati co-		Ventriculus pure magnâ	
pia circa meninges.	22	parte repletus.	186
Sanguinis circulatio Hip-		Ventriculi sphacelus.	198
pocrati ignota.	28	Vesica fellea rupta.	199
Sero scatens cerebrum.	33.	Vesicæ urinariæ suppuratio	167
Scetaceum applicandi mo-	54	Vesicæ aquosæ in labiis.	81
		Vi-	

I N D E X.

Vita reparata.	389	cem.	118
Umbilicus induratus, car-		per perinæum.	120
nosus.	200	per scroti foramina.	119
hydatidibus obfessus	204	Uterus malorum plurium	
Umbilici dissectio.	218	scaturigo.	244
referatio lethalis.	49	an & quomodo procide-	
Umbilicalis funiculus quid		re atque extirpari queat	
	201		218
ejus nodi.	ibid.	Uteri humani descriptio	
Unguium st ructura.	313	anatomica.	242
Ufus varii & morbi.	315,	Vagina clausa.	261.115
	&c.	prociencia falsa.	238
Urachi anatome.	368	Uvulæ ablatio.	125
Urinatio sanguinolenta.		exulceratio.	130
	274	Vulnus sclopetarium.	174
Urinæ excretio per podi-			& 386.

F I N I S.